




6000035750



INSTITVTIONES HERMENEVTICAE SCRIPTVRAE SACRAE VETERIS TESTAMENTI

QUAS

JOANNES NEP. ALBER
E SCHOLIS PIIS
S. THEOLOGIAE DOCTOR, S. SCRIPTVRAE VET. TEST. ET LINGV. HEBR. PROFESSOR, FACVLT. THEOL. SENIOR IN REG. VNIV. PESTIENSI, ET REVISOR LIBROR. HEBRAIC.


JVXTA SYSTEMA THEOLOGIAE
NOVISSIME PRAESCRIPTVM
CONCINNATAS TERTIVM EDIDIT.

IN TOMVLO III.

REGVLAE SCRIPTVRAM S. INTERPRETANDI, ET EXEGETICA EXERCITATIO.

CVM CENSVRA, ET FACVLTATE SVPERIORVM.

PESTINI,
TYPIS NOBILIS MATTHIAE TRATTNER DE PETRÓZA.
1827.



PARS III.

REGVLAE SCRIPTVRAM SACRAM INTERPRETANDI.

PROOEMIVM.

Ars, et scientia nulla est, quae non principia sua habeat, certisque regulis, et praeceptis dirigatur. Non est autem artificium aliud Veteris, aliud Novi testamenti Scripturae sacrae libros interpretandi: quin paucis exceptis, non aliae regulae sunt interpretandae Scripturae sacrae, quam sint pro intelligendis libris quibusvis aliis. Siquidem eo more, qui in usu, et consvetudine humana reperitur, etiam sermo in Scriptura sacra fiat, quae secus nec intelligi posset. Dum autem Regulae interpretandi communes sunt libris Scripturae Veteris, et novi testamenti, nec eadem res tractanda sit bis, hae Regulae secundum eam, quae nunc apud nos obtinet ratio Studii Biblici, datae sunt Institutionibus Novi testamenti, plene exponendae, et solummodo in tantum relictae sunt Institutionibus Veteris testamenti, quantum sola necessitas exigit scire, quomodo fieri debeat interpretatio, ne tiro prorsus rudis, et ignarus accedat ad Exegesim, quae

Postea est Visio prophetica, seu imago divinitus cuipiam ad intuendum data, sive menti tantum, sive oculis etiam corporis exterioribus, rei cujuspiam monstrandae gratia. Talis visio fuit Michaeae prophetae 3. Reg. 22. v. 19. per quam belli eventus ei fuit demonstratus, quod Achab rex Israel susceperat adversum Syros. Ad visiones pertinent etiam somnia, divinitus immissa ad praemonstrandas res futuras, qualia fuerunt Josephi. Gen. 37. v. 6, 9.

Tropicae locutionis genus est etiam Apologus, cujus a Parabola ea tantum differentia est, quod in hoc rebus, quae assumptae ad narrationem sunt, talia tribuantur, quae fieri naturaliter non potuerint, et quibus tamen significatum quidpiam sit. Judic. 9. v. 8. Est denique genus tropicae orationis etiam Symbolum: quod signum quodpiam est, rei intelligendae aptum, et idoneum. Tale symbolum imminentis cladis, et captivitatis, quam Judaei subituri erant, bello victi a Nabuchodonosore Chaldaeorum rege, jugum, et vincula fuerunt, quae Jeremias collo suo imposuerat, sicque incesserat. Jerem. 27. v. 2. Emphasis autem, qua significatio tantum vocis, vel dictionis attollitur ad altiorem gradum, quale, verbi gratia illud est Davidis ad Abnerum: *Numquid non vir es tu*, 1. Reg. 26. v. 15. tropus non est, sed manet propria locutio.

§. 4.

Sensus Scripturae Literalis, et Typicus.

Sensus, qui verbis exprimitur, Grammaticus est, et vulgo literalis dici solet, sive vocabula in propria, sive aliena significatione usurpentur. Vltra hunc in Scriptura existit sensus, qui Typicus, vel mysticus adpellatur, dum res, quam Scriptura memorat actam, Dei

consilio, atque dispositione pertinebat adhuc ulterius ad rem aliam sublimiorem significandam, et praemonstrandam. Sensum talem typicum habuit agnus, quem Hebraei pridie sui exitus ex Aegypto immolaverunt, et cujus sangvine cum adspersissent postes domorum, in quibus habitarunt, immunes a morte primogeniti eorum manserunt, quemque assum sic edere debuerunt ut nullum ejus ossiculum frangerent, et comminuerent. Significabatur quippe, Christi, cujus sangvine redempti sumus a morte aeterna, crura non esse frangenda in cruce. Exod. 11. v. 7, 46. Joan. 19. v. 36. Typicus vocatur a Graeco τύπος, *forma*, quod per rem typicam adumbratio fieret rei alterius futurae; ejusque certis signis descriptio: mysticus, quod sensus iste arcanus esset, nec per seipsum, sicut literalis, in oculos incurreret.

§. 5.

Sensus Typicus vere existit in Scriptura, vimque habet probandi.

Typicum sensum Scripturae Neoterici vel penitus negant, vel ita extenuant, ut vix aliquid ex eo remaneat, nec aptum habent ad aliquid eo probandum. Dum ultra terminos, mihi in his Institutionibus Veteris testamenti positos est, rem ita, quemadmodum ejus gravitas exigeret, demonstrare, hoc tantum unum argumentum proferam. S. Paulus cum memorasset, Hebr. 9. v. 6. vetere stante tabernaculo, sacerdotes ad hujus anteriorem partem semper intrasse ad sacrificiorum officia perficienda; ad interiorem autem ejus partem, quod Sanctum sanctorum adpellatum fuit, tantum Pontificem, idque semel dumtaxat in anno intrasse, nec sine sangvine, quem prius obtulerit pro sua, et populi ignorantia; subjungit deinde, ac docet, quem in finem res sic acta

esset. *Hoc*, inquit, *significante Spiritu s. nondum propalatam* (patefactam) *esse Sanctorum viam.* Nam si in hoc, quod tum fiebat per Pontificem, intrantem in Sancta sanctorum, Spiritus sanctus constituit significationem de Christo per proprium suum sangvinem, ut ibi idem Paulus docet, intrante in Sancta, et in sublimia caelorum, ad Deum nobis propitium sangvine suo reddendum; omnino istum etiam oportet huíc rei, per Pontificem gestae, inesse sensum, atque hunc vim etiam habere probandi: quod secus significatio, quamvis per Spiritum s. constituta, tamen inanis, nulliusque momenti esset.

§. 6.

Sensus Scripturae explicitus, et implicitus.

Sensus tam literalis, quam typicus vel est explicitus, vel implicitus. Explicitus erit, si hunc verba, quando literalis est, aperte praebeant; si vero typicus sit, dum is ex re, quae typum gerit, clare elucet. Contra impilicitus erit, si inclusus in re, quae dicitur, hinc tantum concludendo ex re ad rem, educatur. Hoc modo ex sensu implicito horum verborum Dei ad Moysem: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*, Exod. 3. v. 6. siquidem Deus non sit mortuorum Deus, ea autem ratione mortuorum, qua Sadducaei credebant hominum animas interire in morte, Christus probavit, animas Abrahami, Isaaci, et Jacobi mansisse superstites post mortem, evertitque Sadducaeorum fundamentum, cui opinionem suam, qua inficiabantur mortuorum resurrectionem, superstruxerant. Matth. 22. v. 31. Vim inesse huic etiam implicito sensui ad probandum, vel hoc ipsius Christi exemplo abunde demonstratum est.

§. 7.

Sensus Scripturae Accommodatitius. Istone sensu impleta in Christo sint Prophetarum vaticinia.

Sensus Scripturae, qui vulgo Accommodatitius vocatur, verus Scripturae sensus haud est, utpote, in quo verba Scripturae eo accipiantur; quo ex mente ejus, qui ista edidit, non pertineant. Ergo si per solam accommodationem quopiam Scripturae documentum adhibeatur, hoc etiam vim probandi nullam habebit. Pius tamen iste erit sensus, si res quaesita per accommodationem conferat ad mores pietate informandos: contra vero impius, et nefarius, si ad profana, fabulosa, divinationes, sortes, famosos libellos, pluraque id genus alia sanctissima Scripturae verba usurpentur. Id, quod etiam per concilium Tridentinum Sess. IV. severe interdictum est.

Fuisse, et nunc esse, qui negent, vera exstare vaticinia in libris Vet. Testamenti de Christo, est Prolegomen. §. 13. et Introduct. Spec. Cap. 34. §. 159. demonstratum. Dum ergo in Evangelio vel Christus ipse pro se profert documenta Prophetarum, ad eorum, quae docebat, confirmandam veritatem ex eo, quod divinitus essent praedicta, seque ipsum Judaeis ut probaret, Messiam, missum a Deo; vel ista pro Christo protulerunt Evangelistae, et Apostoli, haec istis Interpretibus mera est accommodatio. Cujus falsitas manifeste adparet ex his Christi verbis ad Apostolos: *Haec sunt*, inquit, *verba, quae locutus sum ad vos, quoniam necesse est, impleri omnia, quae sunt scripta in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Luc. 24. v. 44. Idemque iterum de Moyse, *De me enim*, inquit, *ille scripsit.* Joan. 5. v. 46. Quae proinde sententia ejus impietatis est, ut idcirco Theodorus Mopsuestenus damnatus cum hac doctrina sua sit in synodo Constantinopolit. II. inter oecumenicas quinta.

§. 8.

Sensus Scripturae Vulgaris, Moralis Kantianus, Mythicus.

Vulgaris Scripturae sensus pariter is esset, si quid in ea positum reperiretur ex sententia ipsius Scriptoris a Deo inspirati, Deique per hunc loquentis, quod vulgari hominum opinione, et falsa persvasione quidem crederetur, verumque haberetur, re ipsa tamen falsum esset. Quia vero hoc fieri non potest, in Deum enim recideret asseveratio falsitatis, quo auctore scripta omnia in Bibliis sunt, sequitur, ut nec vulgari sensui locus in Scriptura esse possit. Hinc autem adverti potest, qualis haec Jahnii sit sententia: *Ceterum Scriptura plerumque juxta communem sensum loquitur. Quare effata talia premenda non sunt.* Enchiridii §. 8. Campum latissimum hac ratione aperuit, in Scriptura, ubicunque volueris, falsitatem rebus, quae dicuntur, tribuendi, tanquam quae dictae sint tantum juxta vulgi communem sensum.

Superiore §pho demonstratum est, si verba Scripturae eo adplicentur, quo non pertinent ex Scriptoris sacri mente, et proposito, sique hoc in bonum finem fiat ad virtutis incitamentum, qui ad mores instruendos etiam ab ipsis Sanctis Patribus saepe adhibitus sensus est, pium esse sensum. Alium autem Moralem sensum invexit Immanuel Kant, Regiomontanus in Borussia, notissimus nostrae aetatis philosophus. Docuit in Scriptura omnia morali tantum sensu esse intelligenda, et sumenda, utque id prodeat, quod aptum moribus instruendis sit. Nam, quod huc non conduceret, sed tantum situm esset in assensu intellectus rebus ad credendum propositis, id esse omne Religioni supervacaneum. Itaque voluit abjecta, et eliminata ex Religione omnia mysteria

fidei, atque adeo tollere ipsam fidem: nec ad ipsam etiam Moralem suam alium admisit judicem de eo, quid in Scriptura pulchrum sit, conveniensque honestis moribus, quam humanam praecise rationem. Quae sententia aperte pugnans cum Christi instituto, qui nobis fidei etiam, non solam morum doctrinam tradidit, non indiget refutatione.

Mythicus sensus perinde novos nostrae aetatis Scripturae interpretes auctores habet. Adstruunt, illius primaevae aetatis hominum, quorum res nobis exhibent Sacrae literae, eum fuisse loquendi morem, ut quemadmodum parabolis saepe uterentur, ita etiam mentis suae sensa sub fabellis soliti sint exprimere, vel has solius etiam leporis causa admiscere sermoni. Hunc sibi repererunt sensum, ut ubicunque libitum ipsis esset, possent veras in Scriptura historias in fabulas convertere.

CAPVT II.

DE RATIONE SCRIPTVRAE SENSVM INVESTIGANDI.

§. 9.

Vsus loquendi sitne primum, et supremum interpretandi principium.

Juxta usum, moremque loquendi esse verba, et phrases etiam in Scriptura sumendas, et intelligendas, est demonstratum §. 1. Hunc usum loquendi Neoterici non dubitant statuere, esse etiam primum, ac supremum interpretandae Scripturae sacrae principium. a) Primum, et supremum quavis in arte principium illud est, quod caput, atque fons est omnium aliorum ejusdem artis, et disciplinae, et quo reduci debeant omnia cetera, quae sunt ejusdem artis, ipsum vero nihil habeat, quo reduci ulterius possit. Sunt viae, quemadmodum adhuc demonstrabitur, plures, quibus quaeri debet, et investigari Scripturae sensus. Postquam itaque omnibus illis viis tentata esset inventio sensus, si tamen difficultas, et dubietas remaneret; hanc omnem dispellere

---

a) Vsus loquendi primorum lectorum, et ipsius auctoris primum, et summum est Hermenevticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent. *Sunt Jahnii verba Enchirid.* §. 7. *pag.* 23. Vsus loquendi ceu suprema interpretandi lex suscipiendus erit. *Sunt verba Arigleri Hermenevt. Bibl. Gen.* §. 26. *pag.* 60.

deberet recursus ad usum loquendi. Iidem promptuarium istius usus loquendi, qui fuerit Hebraeis, constituunt, et locant cum in aliis lingvis Orientalibus Hebraeae lingvae cognatis, tum praesertim in Arabica. Quod quale sit, demonstratum jam est supra Part. I. pag. 58. et II. Cap. 11. §. 61. Confitentur quoque, usum loquendi ne posse quidem semper reperiri ob defectum testimoniorum idoneorum, ac proinde assumendas, atque in subsidium vocandas esse alias quaspiam rationes, per quas elici verborum sensus sine usu, per testimonia cognito, possit. Id, quod etiam ejusdem Part. II. Cap. 11. §. 62. probatum est testimoniis Ernestii, Jahnii, et Arigleri. Quomodo ergo ista inter se cohaerent? Nam si ultra usum loquendi ad alia se Interpres vertere debet, ut reperire possit Scripturae sensum, imo si iste usus nequidem semper haberi potest, quo pacto suprema erit interpretandi lex, quemadmodum statuunt Neoterici? a)

§. 10.

Explicatio modorum, quibus sensus Scripturae investigandus sit.

Quodnam ergo primum, ac supremum est interpretandi principium, si usus loquendi hunc primi, et supremi principii locum non tenet? Primum considerabimus modos, quibus investigandus, et protrahendus in lucem sit sensus, ut deinde de eo, quod summum est in arte interpretandi, et unde certo innotescat, quis sit verus, et legitimus sensus, fieri judicium possit. Haec tota res

---

a) Quemadmodum reliqua de Arte interpretandi, ita etiam rem hanc de Vsu loquendi uberius explicui in meis Institut. Herm. N. T. Tom. I. Cap. VII. §. 28.

de investigatione sensus dividitur trifariam. Videndum namque est primum, quid interpretari volenti necessarium sit habere, antequam inchoet interpretationem; deinde quid agendum habeat, dum in ipsa versatur interpretatione; tertio demum, quis modus explorandi sit sensum conceptum, sitne is omnino verus, et indubitatus. Nam secus interpretari volens post omnem suum laborem, tamen nihil certi habebit, et adhaerescere debebit.

§. 11.

Requisita ante inchoatam interpretationem:

Ad primum quod attinet, sicut nemo alium quemcunque librum adgredietur interpretari, nisi postquam istius sibi sufficientem notitiam comparavit; ita idem secus non debet fieri in Scriptura interpretanda. Quare S. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 8. *Erit igitur*, inquit, *Divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu, jam tamen lectione duntaxat eas, quae appellantur Canonicae.* Nam hoc pacto dubium non est, quin interpretaturus lumen sibi comparet facilioris intelligentiae. Ad id ergo, quod antecedere interpretationem debet, spectat, libri illius praesertim, quem quis interpretandum suscipit, eam habere notitiam, ut sciat quis, (quantum sciri potest) quando, et ad quos hunc scripserit. Haec adjunctorum libri notitia solet Exegesis Graeco vocabulo adpellari, quod Expositionem significat: quo vero eodem vocabulo ipsa etiam Scripturae expositio, et interpretatio denominari consvevit.

§. 12.

Scopus. Analysis.

Dum vero Interpres jam ad ipsam interpretationem accedit, omnium primo observare debebit illud, de quo scribitur, et qui scopus Scriptori fuerit. Non is vero summus, atque generalis scopus intelligitur, qui Christus fuit tam toti Legi veteri, quam etiam Evangelio est, Rom. 10. v. 5. 1. Cor. 1. v. 23. sed is, qui non tantum certo in libro, verum etiam certo hujus loco est. Nam habito scopo advertitur, quo res pertineat, et unde claritas oritur una ad perspiciendum ejus sensum, quod aliter mansisset obscurum.

Quando de pluribus diversis argumentis tractat liber, argumenta haec probe ab invicem dispescenda sunt. Nisi enim hoc factum fuerit, res cum re altera facile confundetur. Quod autem confusum fuerit, clare, et distincte non cernetur. Illud quoque curandum erit, ut in quovis singulari argumento libri discernatur, quae sit princeps propositio ab aliis, quae huic primariae tantum subjectae sunt, eumque in finem adhibitae, ut illa princeps ab his vel vim demonstrationis, vel claritatis lumen sumat. Haec argumentorum ab invicem secretio, atque observatio, quo quaelibet propositio pertineat, et ubi sit illud, quo hae dirigantur, Analysis solet vocari in arte interpretandi, partium quasi resolutio, et secretio ad rem distincte pervidendam.

§. 13.

Circumspectio, num recta sit lectio. Recursus ad fontem.

Quoties difficultas incidet vel in voce, vel in dictione, antequam quidquam aliud tentetur, videndum semper

erit, rectane sit lectio. Nam si haec dubia fuerit, nulla etiam esse potest certa interpretatio. Dubium autem fiet de lectione, num recta sit, si versio, qua utor, discrepet á lectione fontis; vel si inter versiones lectionis diversitas sit. Quomodo judicandum de lectione sit, ut agnoscatur, quae recta sit e duabus, vel pluribus inter se variantibus, adhuc postea distincte tractabitur. Etiamsi vero nullum exstet dubium de sinceritate lectionis; tamen a versione ad fontem semper consultum erit recurrere. Sic enim sensum liquidius assequemur. Quamvis enim versio sit bona, haec tamen non semper fontem ad vivum exprimit, saepe nec potest.

§. 14.

Hebraicarum vocum, et dictionum sensus, atque significatio, quomodo sit eruenda.

Contingit vero persaepe, ut quod obscurum, vel ambiguum in versione est, non fiat clarius per fontis Hebraici textum. Hic itaque ad idioma Hebraicum rite intelligendum mos, atque usus loquendi Hebraicus Interpreti venire subsidio debet. Recentiores modo passim docent, ex Hebraeae cognatis lingvis, Syriaca, Chaldaica, et inprimis ex Arabica usum atque morem hunc loquendi, qui Hebraeis fuit, quaerendum esse, et hauriendum. Qualia autem ista subsidia sint, jam intelligitur ex iis, quae dicta sunt supra §. 9. Nec ipsae versiones Syriacae, Chaldaicae, Arabicae magis opem praestare possunt: siquidem omnes hae versiones lingva Hebraea, quae in Bibliis est, multo posteriores tempore sint, nec istis auctoribus, ac testibus stare possit, esse eam re vera significationem, quam ipsi vertendo expresserunt, adeo, ut Jahnius ipse, qui Arabicae lingvae ad usum loquendi Hebraeorum noscendum. summus defensor est, tamen

versionibus

versionibus tam Arabicis, quam Syriacis, et Chaldaicis versionem Septvaginta Interpretum, quin ipsam etiam Latinam Vulgatam Arabicis versionibus in usu interpretationis anteponat. Id, quod Part. II. Cap. 11. §. 61. jam etiam demonstratum est.

Nihilne ergo erit, quo assequi idioma Hebraicum possimus? Imo. Nam ipsi libri Scripturae praebent per seipsos, quantum satis est, morem, atque usum loquendi Hebraeis proprium. Iidem Hebraicae nationis ab ejus cunabulis tradunt instituta omnia, Religionis, et politica; publica, et privata; domi, et belli, atque historiam omnem continent rerum Hebraicarum. Hos itaque idoneos etiam testes habebimus de more loquendi, Hebraeis usitato: hi fontes ad hoc tempus Interpretibus erant ad Hebraicas voces, et dictiones intelligendas; ad hos hi ipsi redire coguntur, dum ad sensum volunt pervenire, qui alios sibi fontes in Arabica, ceterisque lingvis, Hebraeae cognatis, constituerunt. *Ejusdem Part. II. Cap.* 11. §. 62.

§. 15.

Collatio Antecedentium, et Consequentium. Parallelismus.

Dum ergo obscurum quidpiam atque difficultas intelligendi oborta est, habito scopo ejus, quod dicitur, prae oculis, tam ea, quae antecesserunt, quam, quae subsequuntur, nonnunquam etiam longius, conferenda venient cum eo, cujus intelligentia quaeritur. Vbi enim de eadem re producitur sermo, vix fieri potest, ut non clariora etiam aliqua sint: quae proinde lucem etiam praebent ad obscura perspicienda. Sed illud cavendum est, ne dum aliquid antecedit, vel subsequitur, quia de eodem subjecto praedicantur; idcirco haec praedicata

etiam ejusdem semper significationis putentur esse. Sic Jahnius Enchiridii §. 39. in Psalmo secundo, inde quod ante istud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* antecedat, hunc eumdem constitutum esse regem a Deo, et subsequatur, jussum esse petere sibi a Deo gentes in haereditatem, et in Psal. 88. v. 27, 28. quia qui filius Dei prius, deinde idem iste praedicetur esse Excelsus prae regibus terrae; non recte ex antecedentibus, et consequentibus conclusit, etiam *Filius meus es tu, et ego genui te,* non aliud significare, quam honorem regiae dignitatis. *Interdum,* sunt verba ejusdem Jahnii Enchiridii Herm. Gen. §. 39. *praecedit, vel sequitur aliquid, ex quo verbum proprium substituendum facile colligitur,* et post quod subjicit illa, quae dicta sunt, indicare Regem Dei dispositione inauguratum. Lumen enim tantum petitur ex antecedentibus ad intelligendum, quod obscurum est, non tantum in libris Canonicis, sed in alio etiam omni scriptorum genere: non ullus Logicus, et Dialecticus unquam sensit, id, quod in oratione est, eamdem semper habere significationem cum antecedentibus, et consequentibus. Quod ita si esset, sequeretur, in omni oratione, siquidem fere semper alterum sit alterius antecedens, vel consequens, semper etiam omnia unius ejusdemque significationis esse. Hac ergo Jahniana interpretandi regula potestne aliquid esse a recta intelligendi ratione alienius? a)

Fit deinde, ut non tantum voces, et dictiones, sed ipsae res quoque recurrant in Bibliis iterum, aut etiam saepius. Quod ergo in uno loco obscurius est, idem per alia ejusmodi loca fit clarius. Ejusmodi locorum inter se comparatio *Parallelismus* Scripturae solet vocari. Etiam vero hic considerandum est, dum vocabula non semper

---

a) Recole illud, quod de hoc, jam dictum est Parte I. ad Archaeolog Cap. VI. §. 16.

in eadem adhibentur significatione praesertim, quando extra propriam suam significationem usurpantur, ne statim haec illius credatur esse significatio, eo quod hanc habeat alio in loco. Jahnius, ut iterum illius exemplo utar, Enchiridii §. 28. in hoc: *Erat aqua quasi murus a dextra eorum, et laeva*, Exod. 14. v. 22. aquarum similitudinem cum muro constituit non in eo, quod accumulando se, in altumque assurgentes firmiter instar murorum constiterint; sed quod abactae vi venti, atque aestus marini harum aliquae in declivioribus locis remanserint, et fecerint, ne ex latere Hebraeos invadere Aegyptii possent, atque hoc inde, tanquam ex parallelo loco, quod 1. Reg. 25. v. 15. de Davidis militibus sit, hos pro muro fuisse pastoribus Nabalis adversum fures, et praedones, ne damnum inferrent gregibus. Nam sequiturne, quia murus isto loco in hac significatione sit, idcirco significationem ex assimilatione cum muro esse etiam hanc Exod. 14. v. 22.? num ab una, eademque re plures diversae similitudines non potuerunt peti? Sed hujus loci sensus, et significatio petenda, et determinanda insuper erit ex Exod. 14. v. 27. Exod. C. 15. v. 8. et omnibus illis locis, ubi sermo instituitur de transitu Hebraeorum per mare Rubrum.

§. 16.

Analogia Fidei.

Hactenus explicatum est, quomodo investigandus sit sensus. Credo autem neminem futurum, qui quantacunque diligentia adhibita, et observatis regulis interpretandi, tamen se putet falli, et labi non potuisse. Hic ergo jam restat illud, quod in interpretatione positum est tertio loco de exploratione, num sensus, quem concepit Interpres, sit omnino verus illius loci sensus.

Hue vero eidem interpreti adhibenda est *Analogia fidei*, ipso etiam doctore S. Paulo, qui inter Spiritus s. dona recensens interpretationem, hanc analogiam vocat *prophetiam secundum rationem fidei*, προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. 12. v. 6. Nam per prophetiam significari hoc loco interpretationem, jam fuit Part. II. Cap. 34. §. 153. Analogia autem est convenientia cum doctrina Religionis, quae jam ex definitione Ecclesiae Interpreti debet esse nota. Quod si ergo huic doctrinae Religionis contrarium sensum alicubi in Scriptura adstrueret Interpres; istum sensum non posse verum sensum esse, utpote fidei a Deo revelatae contrarium, Analogia fidei ei demonstrat. Analogiam fidei etiam Protestantes prae se ferunt in interpretatione Scripturae. Nomen vero idem est, sed non eadem res nobiscum. Nam illorum Analogia fidei est tantum ex planioribus Scripturae locis sumpta exclusa traditione Patrum, et auctoritate Ecclesiae ad definiendum, quid sit rectae fidei. Nobis autem Analogia fidei non est tantum ex Scripturae planioribus locis, verum una etiam ex iis confecta, quae in doctrina fidei, et morum definita sunt per Ecclesiam. *Cum verba propria*, inquit S. Augustinus lib. 3. de Doct. Christ. cap. 2. *faciunt ambiguam Scripturam, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, et Ecclesiae auctoritate percepit.*

§. 17.

Judicium Ecclesiae, et unanimis consensus Patrum de sensu Scripturae.

Analogiam fidei dare Interpreti lucem ad videndum, quis sensus esse non possit; non autem etiam semper quis certo in loco Scripturae sit reapse sensus; sua sponte potest intelligi. Sed et illud advertendum est, posse

sensum esse, quem Interpres concipit in certo loco Scripturae; Analogiae fidei consentaneum, quin tamen ex hac convenientia cum analogia fidei consequens esse debeat, ut idem sensus sit illius loci, cui hunc Interpres tribuit, verus sensus. Huc ergo adhuc quidpiam requiritur, quod Interpretem certum faciat de vero Scripturae sensu. Quid igitur istud est? Tam Protestantes, quam omnes alii semper, qui Ecclesiae parere noluerunt, sectamque aliquam secuti, suum sibi posuerunt judicium, quo niterentur in eo, qui sensus esset Scripturae.

Nobis vero Catholicis, si Catholici volumus esse, hoc debet esse, quod sancitum per concilium Tridentinum est Sess. 4. cujus haec sunt verba: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit*, (Concilium) *ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Vbicunque igitur in Scriptura, in rebus fidei, et morum de ejus sensu judicium factum ab Ecclesia est, et de ejus sensu constat, unanimem esse consensum Patrum, hunc Interpres Catholicus intelliget, sibi etiam habendum esse sine dubitatione pro vero illius loci in Scriptura sensu.

Neoterici ex Catholicis, isto decreto percussi, dum, quemadmodum Protestantes, non audent eidem decreto aperte resistere, ne ipsam etiam speciem externam hominis Catholici dimittant; tamen vim illius ut eludant, in omnes se se partes versant. Jahnius Introduct. suae in Libr. V. Foed. Part. I. §. 91. (Lat.) *Petulantia*, inquit, *ingenia, quae carpit concilium, sunt Protestantes, non vero illi Catholici, qui reprobant testes facti,*

de quo agitur, ignaros, seu quod idem est, Patres lingvae Hebraicae expertes a dicendo testimonio de usu loquendi Hebraico excludunt, et producunt testes alios, — nempe dialectos, quae unam, eandemque cum Hebraica constituunt lingvam. Idem Enchiridii sui §. 92. *Longe absumus*, inquit, *ut ad auctoritatem Ecclesiae Catholicae, de qua, ubi hermenevticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus.* Jahnio concinit Arigler Hermenev. Gener. §. 15. Quamvis vero Patres lingvae Hebraicae fuissent expertes, et istas dialectos ignorassent (Arabica, et ceterae, de quibus jam supra fuit, intelliguntur lingvae) non eo minus tamen sequitur, Jahnium refragari decreto Concilii, dum Patres ex testimonio de sensu Scripturae excludit. Verum autem est, decretum hoc a Concilio constitutum esse adversum Protestantes. At vero ideone Catholicos jam non feriet, dum idem faciunt, quod factum est a Protestantibus? Liberumne id Concilium permisit Catholicis, quod nequidem in Protestantibus tulit? Nec ideo Patres non sunt idonei testes ad testimonium dicendum de sensu Scripturae, quod Hebraeae lingvae, et huic cognatarum lingvarum expertes fuerint: id, quod ipsum etiam injuriose de omnibus dicitur. Nam hoc testimonium in Ecclesia Catholica non ex usu loquendi sumitur, ut vult Jahnius, verum ex Traditione, cujus Patres testes, etiam de sensu Scripturae, sunt. Quod autem ad usum loquendi attinet, is quidem Interpreti etiam prae oculis esse debet, quemadmodum supra Cap. 1. §. 1. demonstratum est: at tamen iste usus, si tantum Interpretis proprio tractetur ingenio, ut contendit Jahnius, excludens Patres, velut ignaros testes de hoc usu, adeoque nec idoneos habens ad dijudicandum Scripturae sensum, nondum praestat, ut certo constet de Scripturae vero sensu: siquidem in ipso etiam hoc usu statuendo falli, quantumcunque suo confidat ingenio, interpres possit. Quid?

quod ipsi fontes, quos Jahnius, et Neoterici statuunt esse ad usum reperiendum loquendi ex dialectis lingvae Hebraeae, non sint ii, ut ex his hauriri possint mores, consvetudinesque loquendi tuto, atque certo? Id quod supra §. 9. demonstratum est, ipsum etiam confessum esse Jahnium. *Omnis prophetia* (interpretatio Tom. II. Cap. 34. §. 153.) *Scripturae propria interpretatione non fit.* 2. Petr. 1. v. 20. Quale vero etiam illud est Jahnii? longe se abesse, ut ad auctoritatem Ecclesiae Catholicae provocet, de qua, ubi hermenevtica tractatur, sermo esse non possit? Nam concilium Tridentinum asseruit, Ecclesiae esse judicare de vero Scripturarum sacrarum sensu: quod dici nullatenus posset, si ubi hermenevtica tractatur, nullus auctoritati Ecclesiae locus esset. Non tantum ergo Patres exclusit ex testimonio dicendo de Scripturae sacrae sensu; sed etiam Ecclesiae denegavit auctoritatem judicandi de Scripturarum sacrarum sensu: nec quidquam pensi habuit, esse haec definita, atque decreta per Tridentinum oecumenicum concilium.

Idem Jahnius deinde, tametsi dixerit, adversum Protestantes tantum esse hoc constitutum decretum, in eodem tamen cavere etiam Catholicis voluit, sic istud explicando: *Concilium*, sunt verba illius, *dumtaxat edicit, qua ratione Scriptura in rebus fidei, et morum explicanda non sit: nequaquam vero praecipit, qua ratione, aut e quibus principiis explicanda sit. Paucis: decretum Concilii est mere negativum, non positivum.* Volebat dicere, decretum esse prohibens, non mandans, et praecipiens. At vero, quis ita ineptus erit, qui non intelligat, dum quidpiam prohibetur, simul praecipi ejus contrarium? Haec Jahnii subtilitas vel primo statim Decalogi mandato refellitur. Dictum est a Deo: *Ego sum Dominus Deus tuus — non habebis deos alienos coram me.* Exod. 20. v. 2. Nam hac Decalogi lege estne constitutum tantum, ne falsi dii colerentur, et

non etiam, ut verus Deus colatur, quia *Non habebis deos alienos coram me*, lex est (verbo utor Jahniano) negativa?

Adhuc vero etiam Pallavicinum, de Conc. Trident. lib. 6. cap. 8. audet in suae istius interpretationis decreti Tridentini adhibere patrocinium, qui doceat, Concilium hac sua lege *methodum intelligendi Verbum Dei non restrinxisse, sed declarasse solummodo illicitum, et haereticum, quod jam ante natura sua tale fuerat, et a Patribus, Pontificibus semper pro tali habitum, et declaratum fuit*, videlicet, Scripturam contra unanimem consensum Patrum interpretari, sed dum hi sententiam suam, velut certam affirmarent, non tantum opinantium modo loquerentur. Id, quod Pallavicinus in defensionem Cajetani scripsit, ne pro haeretico habendus videretur, eo quod contra Patrum consensum, sed tantum opinantium, fas esse Scripturam interpretari docuisset. Nec vidit Jahnius, hoc in suum caput esse. Nam cum Concilium consensionem Patrum de Scripturae sensu, quem haberent esse certum, non quem tantum opinarentur esse, proculdubio intellexerit in decreto suo (quod enim ne Patribus quidem ratum fuit, cur aliis, ne contra sentire auderent, figere legem voluisset?) et Pallavicinus tantum ex eo Cajetanum excuset, quod contra consensum opinantium Patrum interpretari Scripturam, haereticum non sit, prout Cajetanus senserit; sequitur, et Cajetanum ex sententia Pallavicini, cui sensum decreti citra dubium bene fuisse notum, ipse etiam dicit Jahnius, haereticum futurum fuisse, si contra certam illorum sententiam de Scripturae sensu, et unanimem consensionem, fas esse Scripturam interpretari, docuisset, et decretum hoc ita esse constitutum a Concilio, ut licentia Scripturae interpretandae adversus unanimem consensum Patrum omnino compressa, et damnata sit. Etiam in eo, quomodo ipse secum consentit Jahnius? qui cum prius asseruisset, Patres esse excludendos a testimonio dicendo

de sensu Scripturae, tamen nunc post Pallavicinum doceat, sic sensui a Patribus tradito adhaerendum, ut huic facere contrarium, fassus sit esse non tantum illicitum, verum etiam haereticum. Ipse igitur hanc etiam in se sententiam tulit, et proprio ore se condemnavit.

Bene autem a Pallavicino dictum est, nihil novi a Concilio Tridentino hoc decreto constitutum esse, sed tantummodo illud confirmatum, quod jam antea illicitum, et haereticum, et a Patribus, atque Pontificibus pro tali semper habitum sit. Nam Patribus omnibus interpretandae Scripturae regula, atque amussis fuit traditio Majorum. Id, quod jam demonstratum est Prolegomenor. §. 5. et hinc etiam apparet clare, quod concilium generale Constantinopolitanum generale V. act. 11. anathemate percusserit Origenistas, quod *Expositiones Scripturae contra traditionem Majorum invehere conati essent:* ut proinde verissime asseveraverit Melchior Canus lib. 7. de Loc. Theol. cap. 3. *In expositione Sanctarum Scripturarum concordem antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse Catholici.*

Quod in decreto Concilii dictum est vetando, *Vt nemo contra eum sensum etc. Scripturam interpretari audeat*, idem sic expressum est in Formula Fidei per Pium IV. edita, et ad profitendum omnibus praescripta: *Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.* Anne igitur satis clarum est, hoc, quod in decreto Concilii est, *Vt nemo contra*, idem valere, quod *Juxta?* Non tantum vero Jahnius, sed etiam Ariglerus, et Mayerus in sua Institutione Interpretis alto silentio praeteriit hanc formulam fidei. Viderant inconsultum esse, istam proferre, quae nimis aperte configeret ipsorum detortam

decreti Tridentini explicationem. Alii Jahnii sectatores pressi hac sibi objecta formula Pii IV. effugium quaerunt, dicendo, sensum Ecclesiae, et consensum unanimem Patrum intelligendum esse in hac formula non de sensu Scripturae, sed de summa Religionis extra Scripturam via Traditionis nota. Hoc fecit Anonymus auctor Vindiciarum Jahnii §. 84. et seqq. omnium vero apertissime istud expressit §. 93. Est autem iis etiam, qui talpae oculos habent, clarum, atque evidens, quemadmodum Concilii decretum, ita etiam formulam hanc Fidei loqui de sensu Scripturae, dum utrobique instar causae positum est, Ecclesiae esse judicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum. Quod pro causa nullatenus apte adpositum esset; nisi etiam sensus Ecclesiae, et consensus Patrum, de quo loquitur decretum Tridentinum, et formula Fidei, de eodem Scripturae sensu, et interpretatione esset. Idem vero etiam ex ipso decreti Tridentini scopo evidens fit, *Vt nemo suae prudentiae innixus Sacram Scripturam interpretari audeat.* Cum ergo luce clarius sit, quod in hoc decreto Tridentino est, idem esse in formula Fidei; consequens ex eodem scopo est, neque in hac sensum Ecclesiae, et consensum Patrum alium intelligi, quam eum, qui de sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum est, et pervertere decretum Tridentini concilii, esseque refractarios Fidei, quae Formula continetur, qua a Pio IV. sibi data Ecclesia utitur.

Auctor anonymus Epistolae ad Georgium Fejér (Jahnius est, cujus manus agnita est ex scriptura) Pestini typis Trattnerianis a. 1816. cum responsione Fejériana editae, de hac formula Fidei *Noveras quippe*, inquit, *hanc non a Concilio, sed a Pio, ni fallor, IV. evulgatam esse: qui non potuit mutare sensum concilii universalis, et, si aliis verbis usus est, juxta concilium explicandus, et intelligendus est.* Per decretum

itaque Tridentinum censet, formulam Fidei interpretandam esse, non per hanc decretum. Est autem quaestio de sensu decreti, secundum quod concepta etiam est a Pio IV. formula Fidei, et illud declarans, quod est in decreto, cujusque sensus ita clarus est, ut nullam possit habere controversiam. Dum ergo duo inter se conferuntur, quorum alterum in quaestionem vocatum est, quomodo intelligi debeat, alterum nullam habet quaestionem; istudne, quod extra quaestionem est, per illud explicandum venit, de quo est controversia? clarumne per obscurius? Quae igitur ista hujus anonymi nova etiam est critica? Pius IV. autem decretum concilii generalis in materia Fidei, quae immutabilis est, mutare omnino non potuit, neque voluit. Attamen idem Anonymus perpendere debuisset, ipsene melior, et certior interpres habendus esset eorum, quae sunt decreta in concilio, quam sit Romanus Pontifex, et suumne sit, vel Romani Pontificis, conciliorum decreta interpretari: deinde, num falsa esse possit decreti Tridentini expositio, a Pio IV. facta in formula Fidei, quam suscepit, et qua utitur in profitenda Fide universa Ecclesia. Illud autem Anonymi: *A Pio, ni fallor, IV.* nescio, annon sit etiam dictum cum contemptu istius expositionis factae per Pium IV. in formula Fdei: quasi quam sibi nec considerandam, et curandam duxerit, ut certo sciret, haec facta a quo Pontifice sit.

§. 18.

Primum, et Supremum Interpretandi principium.

Ex hactenus demonstratis de ratione interpretandi, intelligitur, aliud esse sensum Scripturae quaerere; aliud certum fieri, num sensus is verus sit, quem Interpres quaerendo se censet assecutum esse. Etiam illud patet, non eundem in quovis Scripturae loco esse modum, et

viam perveniendi ad sensum, ut v. g. in hoc loco eruo sensum ex antecedentibus, in alio ex consequentibus, in alio ex scopo, parallelismo, et sic ultra. Estne vero in hac investigatione sensus, et obtinerene debet, ut quem sensum Interpres reperit una aliqua via, explorare deinde debeat, iste talisne sit, qui reperiri alia etiam ratione, et via potuerit, et nisi sic per alteram etiam viam comprobetur, verus non possit esse sensus? Credo, neminem fore, qui ita sentiat. Neque ergo etiam unum primum, atque summum interpretandi principium in eo vertitur, ut ex modis omnibus, quibus investigatur sensus, unus esse debeat, quasi princeps, ad quem ceteri omnes redigi, et expendi debeant, neque aliter, quod aliquo ex illis modo indagatum, atque repertum est, verum sensum esse posse. Ergo neque unum primum, ac summum principium intelligi potest de modo, et ratione sensum eruendi; sed eo pertinet, ut ubi iste erutus per Interpretem est, et expensus ad hoc primum, ac summum principium, adpareat, si cum hoc principio conveniat, citra ullam dubitationem verum esse illius loci sensum. At vero Ecclesiae judicium de Scripturae sensu, et unanimis consensus Patrum, sicut immunis ab errore est, de quo nulli Catholico dubitare fas est; ita nos certos etiam reddit de Scripturae vero sensu. Hoc ergo etiam est primum, atque summum principium interpretandi, non proprium tantum judicium, errori obnoxium; non usus, et mos loquendi, proprio tantum etiam judicio examinatus, non aliud quidquam. Vindex Jahnii hanc ejusdem Jahnii doctrinam tamen adhuc ivit defendere dicendo, nullam ab Ecclesia factam esse Scripturae interpretationem, quae nullos in hunc finem in illam commentarios composuerit. Intelligitur vero Scripturae interpretatio ea, quam Ecclesia fecerit, dum de locis Scripturae orta controversia, de sensu illorum judicium tulit. Valde igitur miserabile hoc est, quod sibi Vindex quaesivit effugium.

CAPVT III.

DE VARIANTIBVS LECTIONIBVS, ET ANTILOGIIS.

§. 19.

Ratio dijudicandi, quae ex duabus, vel pluribus sincera sit lectio.

Superioris capitis §. 13. demonstratum est, frustra suscipi laborem in sensu quaerendo, et explicando, quamdiu dubia lectio est in Scripturae loco, cujus sensus investigatur. Variantes lectiones in libros Scripturae irrepserunt maximam partem per transcriptionem, vel saepe per praeposteram correctionem, aut nonnunquam etiam ex animo depravandi. Observantur hae vel propria lectione, et exemplarium inter se comparatione, vel ex paratis jam labore doctorum virorum Variantium lectionum Collectionibus. Talis collectio facta est per Houbigantium Parisiis a. 1753. altera per Kennicotum Oxonii a. 1776. et per De Rossi Parmae a. 1784. Multae lectiones variantes sunt, sed *Non tanti momenti*, sunt verba Bellarmini lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. *ut in iis, quae ad Fidem et mores pertinent, Sacrae Scripturae integritas desideretur. Plerumque enim differentia est in dictionibus quibusdam posita, quae sensum aut parum, aut nihil mutant.*

Ad ferendum judicium de vera lectione, si hujus diversitas inter versiones sit, recurrendum ad fontem est. Siquidem *Ei lingvae*, inquit S. Augustinus lib. 15.

Civ. Dei Cap. 13. *potius credendum est, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Potuit autem contingere, ut postquam fontis facta est versio in alias lingvas, in fontem postea irrepserit mendum, quin idem acciderit in Versionibus. Hoc est, quod Correctores Latinae Vulgatae quaepiam in hac consulto permiserint, etiamsi haec in fonte aliter se haberent: quemadmodum istud Part. II. Cap. 16. §. demonstratum est.

Ex codicibus autem antiqui anteferuntur recentioribus. Quo enim hi saepius transcripti sunt, eo subjacebant magis mendis, quae per librarios accidere solent. Quod tamen etiam habet exceptionem. Nam iterum contingere potuit, ut codex antiquior una descriptione inconsiderata, et negligente pluribus affectus erroribus sit, quam recentior alter, saepiusque transcriptus ob adhibitam accurationem.

Quo plures Codices sunt pro aliqua lectione, eo magis etiam haec solet praeponderare: quin tamen istud etiam judicium semper absolvat de veritate lectionis. Siquidem possint codices esse plures, qui mendosam habeant lectionem, et pauciores, qui rectam. Nec numerus testium crescit per codices, si constet hos fluxisse ex codice eodem uno. Num satis adparet, quam res impedita sit, judicare ex codicibus de recta lectione?

Ad Codices autem Bibliorum adjunguntur etiam Opera Patrum, et veterum Interpretum: apud quos dum textus comparet Scripturae, simul advertitur, quomodo ea aetate lectus sit. Vsus iste Patrum ad dijudicandam rectam lectionem textus Scripturae, vocatur Vsus criticus. Is vero, dum sensus inquiritur Scripturae ex iisdem Patribus, adpellatur usus Dogmaticus.

Dum autem res se ita habet de codicibus, quemadmodum demonstratum est, et Patres saepe tantum ex memoria allegaverint documenta Scripturae, aut mendum esse potuerit etiam in codicibus, quibus usi sunt; non

potest praecise de recta lectione ex codicibus fieri judicium, sed etiam considerandum veniet, quaenam lectio cum scopo Scriptoris conveniat, et nexa sit magis cum oratione reliqua. Semper autem in dubio illa lectio, quae facilior intellectu est, suspecta magis est, quod suspicio in eam cadat pravae correctionis per indoctos librarios, vel semidoctos criticos.

§. 20.

Ratio conciliandi Antilogias.

Antilogia, et contradictio, quae vera sit, nulla potest esse in Scriptura. Quae enim sibi contradicunt, horum unum falsum esse oportet. Quae vero falsitas in Scripturis sacris, cum Dei eloquia sint, esse non potest. Omnes ergo, quaecumque in Scriptura occurrunt antilogiae, sunt tantum ἐναντιόφανα, contradictiones in speciem, inde enatae, quod eorum, quae contradictionem habere videntur, alterutrum, aut etiam utrumque recte intellectum non sit.

Omnium vero primo videndum Interpreti est, annon in his locis, qui inter se dissidere videntur, lectio sit, habens mendum. Nam si hoc est, isto sublato, evanescet contradictio. Quod si in neutram lectionem earum, quae pugnare secum videntur, errati alicujus cadat suspicio, quod inde apparet, si codices omnes inter se; et versiones pariter omnes cum textu, qui fons est, adcurate conveniant; tunc in iis locis, quae habent antilogiam, vel non idem dictionis est subjectum; vel si hoc idem sit, tamen de hoc praedicantur non eadem, sed diversa vel re, vel saltem tempore, loco, alioque ejusmodi, quod cum re connexum esse solet. De Antiocho, quae narrantur 1. Mach. 6. v. 1. et 2. Machab. 9. v. 1. contradictionem habere videntur cum eo, quod de Antiocho est 2. Machab. 1. v. 14. Nam hic Antiochus dicitur in

Perside in Naneae templo, ad quod spoliandum venerat, a sacrificulis occisus; illic ab Elymaide urbe in Perside repulsam passus in fuga, et reditu teterrimo morbo interiisse. Sed iste Antiochus fuit Epiphanes; ille Antiochus, qui in Naneae templo interfectus est, Antiochus cognomento Sidetes.

De arca foederis est 3. Reg. 8. v. 9. nihil in hac aliud fuisse, quam duas Decalogi tabulas. At vero S. Paulus Hebr. 9. v. 4. testatur, non tantum has tabulas fuisse in arca, sed etiam urnam auream cum manna, et Aaronis virga, quae prodigiose floruerat. Nempe in libro tertio Regum dicitur, quid Salomonis tempore fuerit in arca; Paulus autem de tempore loquitur sub Moyse. Nec etiam in eadem significationis latitudine sumuntur semper praedicata. Est Gen. 1. v. 31. Deum cuncta vidisse, quae fecerat, et fuisse valde bona. At vero Marc. 10. v. 18. est, neminem esse bonum, nisi solum Deum. Alia videlicet Dei bonitas est, alia rerum creatarum.

In annis, et eorum numeris solet etiam crebrius occurrere aliqua diversitas. Est Genesis 15. v. 13. Semen Abrahami peregrinum futurum annis 400. Iidem vero anni dicuntur fuisse 430. Exod. 12. v. 40. Gal. 3. v. 17. Non est autem eadem hos annos utrobique computandi ratio, sed anni 430 numerantur ab adventu Abrahami in Palaestinam, anni 400 ab Isaaci nativitate: neque vero etiam hic annorum 400 numerus est integre positus, sed cum praetermissione annorum quinque, juxta eum Scripturae in commemorandis annis morem, ut ii anni, qui pauci supra vel infra rotundum aliquem majorem numerum sunt, praetereantur. Fit etiam persaepe, ut res inter se convenientiam non videantur habere, non aliunde, quam quod earum adjuncta hic omissa, illic exposita sint. Tale de Saulis interitu est 1. Reg. c. ult. et 2. Reg. 1. v. 10. de Estheris ad Regem accessu. Esther 5. v. 2. et C. 15. v. 10.

CAPVT

CAPVT IV.

INTERPRETES VETERIS TESTAMENTI.

§. 21.

Primi, et praecipui Ecclesiae Patres.

Est Cap. 2. demonstratum ex concilio Tridentino, ut nemo contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta mater Ecclesia, et unanimem consensum Patrum interpretetur Scripturam sacram. Sensum Scripturae Ecclesia quem tenuit, et tenet, via Traditionis accepit, et tuetur. Traditio autem facta est per Patres. Ex quo planum est, quantum interpres Catholicus, si Scripturas interpretari catholice velit, respicere debeat ad Patres: in rebus autem Fidei, et morum, de quibus etiam solis sermo in decreto Tridentino est. Sunt Patrum Opera alia, in quibus ex professo Scripturas interpretantur; alia in quibus tantum Scripturae documenta producunt ad firmanda ea, quae sunt orthodoxae Fidei, et Religionis. Ista quoque usui debent esse Interpreti. Nam etiam in his testes sunt de sensu illorum locorum Scripturae, quae proferunt. Saepe in his alteris Operibus, dum adversus errores heterodoxorum scribunt, pressius etiam sensum exprimunt, ne quod effugium adversariis darent, et dissolvere possent prolata adversum se argumenta, quam in homiliis: in quibus cum instruerent fidelem populum non tantum in Fide, verum etiam moribus, saepius moralem sensum sequebantur.

§. 22.

Exegetica Opera Patrum, et Veterum Interpretum.

Opera Exegetica Patrum, et Veterum Interpretum sunt ista: (nam omnium recensio in alia Theologiae parte habet sibi datum locum) Origenes habet homilias in Genesim, Exodum, Leviticum, in libros Regum, in Psalmos, et in Prophetas. Allegoricum sensum consectatur: quia vero ex ejus scriptis secta Origenistarum nata est; ab ea existimatione, in qua tali antea fuit, ut Ecclesiarum magister post Apostolos etiam ab ipso S. Hieronymo *in Praefat. libri de Nominib. Hebr.* vocaretur, decidit. S. Augustinus librum composuit de Genesi ad literam; in eamdem Genesim librum praeterea habet alium, sed imperfectum; deinde Quaestiones in Pentateuchum, librum Josuae, et Judicum, nec non Enarrationes, quibus interpretatur Psalmos omnes. S. Joannes Chrysost. scripsit homilias in Genesim, in Jobum, in Psalmos, et Isaiam. S. Cyrillus Alexand. habet Commentarios in Isaiam, et Prophetas minores, et Glaphyra ex Genesi. Hoc vocabulo significatur id, quod factum, atque compositum est affabre. Tractat in his delectas quaestiones ex Genesi, easque explicat, sed plerumque sensu allegorico. S. Ambrosius Hexaemeron explicat, id est, sex dies creationis in Genesi, quosdam etiam Psalmos interpretatur. S. Basilius M. pariter in idem Hexaemeron scripsit, nec non homilias in prima sex capita Isaiae. Etiam S. Gregorius Nyss. de eodem creationis Opere sex dierum librum elucubravit, praeterea Ecclesiasten, et Canticum canticorum interpretatus est. S. Hieronymus Tractatum edidit de Quaestionibus, seu Traditionibus Hebraicis, et Commentarios in Ecclesiasten, et Prophetas omnes. S. Gregorius M. libros Regum, Job,

Canticum canticorum, et Ezechielem explicavit; S. Hilarius in Psalmos habet commentarium; Theodoretus Psalmos, Canticum canticorum, et Prophetas sua interpretatione illustravit; S. Bernardus sermones habet, quibus Psalmos explanat, et Canticum canticorum. Hi iidem plerique lucubrationes fecerunt etiam in Novi testamenti libros, quod recensere jam huc non pertinet.

§. 23.

Interpretes Judaei, et interpretationum Judaicarum indoles.

Praeter Patres, qui Scripturas interpretati sunt, multi alii, quorum neque numerum inire licet, sunt interpretes, alii Judaei, alii Christiani: hi vero partim Catholici, partim Protestantes, aliique heterodoxi, deinde qui nostra aetate in scenam prodierunt Neoterici, conflati non tantum e Protestantibus, verum etiam Catholicis. Judaei interpretes non sunt antiquiores seculo Ecclesiae undecimo, quorum princeps Aben Ezra est, et post hunc, Rabbi Moses ben Majmon, a literis harum vocum primoribus dictus Rambam; David Kimchi, Rabbi Salomon Isaac, iterum ab his, quae vocum harum literae primae sunt, vocatus Raschi, vel Jarchi, ut plures alios praeteream. Est Judaicarum interpretationum proprium, ut Scripturam sacram juxta Thalmud suum explicent, et ex ingenio suo multa etiam addant, quo sibi ingenii, et exquisitae doctrinae laudem apud suos, et existimationem comparent. Ex literarum etiam positione, et collocatione, vel arithmetica significatione amant sensus exsculpere, quos pro subtilissimis, et mysteriorum plenissimis habent. Quale v. g. est, Deum, dum condidisset mundum, jam vidisse, se Hebraeis daturum Legem: siquidem in voce *Bereschit*, quae prima Geneseôs est,

litera ultima sit *Thav*, qua vox incipit *Thora*, quae legem significat in lingva Hebraica. His vero adhuc antiquior interpretatio jam exstat apud Philonem, et allegorica est; deinde in Thalmud, et quibusdam aliis libris, quos Judaei antiquos solent nominare: quamvis tales non sint, sed tantum pro his venditentur, quo auctoritatem ipsis ab antiquitate concilient.

§. 24.

Interpretes Catholici.

Ex Catholicis praeter eos, qui jam memorati sunt concilii Tridentini epocha anteriores, et vel universam Scripturam, aut majorem ejus partem interpretati sunt, clariores, celebrioresque sunt, Emmanuel Sa, Lusitanus, Lucas Brugensis lingvarum cognitione Orientalium eximius, Joannes Mariana, Jacobus Tirinus, Cornelius a Lapide, Jacobus Gordonius, Joannes Stephanus Menochius, Ludovicus Isaac, seu notiore nomine De Sacy, Augustinus Calmet, Thomas Malvenda, Joannes Maldonatus, Jacobus Bonfrerius, Jac. Josephus Duguet, ut alios praeteream, quos enumerare infinitum esset. Non eamdem vero omnes interpretandi rationem sequuntur, sed quisque secundum eum, quem sibi interpretationis scopum posuit, et in quorum commodum interpretationem fecit.

Generaliter de Interpretibus Catholicis seculi XVI. et XVII. ex quibus veluti celebriores etiam nominatim memorat Emmanuelem Sa, Menochium, Tirinum, Cornelium a Lapide, sic Joannes Jahn Enchiridii §. 62. decretorie pronunciat: *Multorum adhuc dum manibus teruntur, etsi vitiis omnis generis scatent. Ipse quoque Calmet, ab omnibus laudatus, non offert nisi diversas antiquorum, et recentiorum interpretationes, sine maturo judicio congestas, et maxima ex*

parte mysticas, quibus tiro, experientia edoctus scribo, magis impeditur, et inutiliter detinetur, quam adjuvatur. Hoc Jahnii judicium de his Catholicis Interpretibus ipsi etiam Protestantes refellunt. Nam Buddaeus Emmanuelis Sa Adnotationes in Scripturam sacram *exquisito judicio, magnaque eruditione factas* asserit. Idem de Menochio Walchius judicium tulit. Grotius quoque eumdem Menochium in eo Interpretum numero reponit, ex quibus se testatur plurimum profecisse. Calmeti etiam Commentarios Walchius dicit laudandos, et diligenter commendandos esse.

Dum vero Jahnius miratur, quod hi, omnesque alii seculi XVI. et XVII. Interpretes, adhuc multorum manibus terantur, qui omnibus vitiis scateant; e contrario Commentariis seculo XVIII. et praesertim hujus dimidio altero compositis judicium tribuit, *Hos lingvarum scientia, eruditione, et diligentia antiquioribus longe praestare*, et Joan. Davidis Michaelis Adnotationes in Vetus, et novum testamentum *in quam plurimis eximias* vocat, Scholia quoque in Vetus testamentum Ern. Frid. Caroli Rosenmülleri miris laudibus effert, atque opus omnibus commendandum vocat. Iste vero, nam Michaelis, cujus mentionem saepius fecimus, jam notus est, iste, inquam, statim ex Moysis narratione de Creatione mundi Gen. Cap. 1. merum philosophema facit; ea, quae Gen. Cap. 2. et 3. idem Moyses refert, asserit esse meras tantum hypotheses, et dicit, narratiunculas vulgi esse de hominis creatione, et de primo, ubi is habitaverit, loco, et de origine, causaque malorum, quibus genus humanum affectum est. Hinc, tanquam ex ungve, possumus totum leonem noscere, et qualia haec tam laudata sint ab Jahnio Rosenmülleri scholia. Ex horum ultima epocha, quae Interpretum novissimorum est, talibus virtutibus proculdubio illa etiam Catholicorum Interpretum vitia, quibus hi, Jahnio judice, scatent, debebunt

aestimari, atque ex illa interpretationis norma, quam Jahnius ipse cum in aliis Operibus suis, tum in Introductione in Libros Vet. Foederis docet, et sequitur, evertendo miracula, sufferendo vaticinia de Christo, pro rebus vere gestis substituendo parabolas, et somnia, atque Typica omnia eliminando ex Scriptura. Ab ista autem interpretatione quia illi Interpretes Catholici alieni sunt, idcirco omnis generis vitiis scatent Jahnio. Idem Enchiridii §. 61. asserit, medium aevum *nihil in Exegesi produxisse, nisi forte quaepiam figmenta allegorica seu mystica, ac inter haec etiam aliqua non parum monstrosa.* Nec ex Patribus quidem ullus est, qui eidem satisfecisset Jahnio. *Enchirid.* §. 60. In subsequente parte Exegetica prodibunt etiam quaedam loca, ex quibus adhuc effulgebit ipsius etiam Jahnii interpretatio, qualibus virtutibus is vincat illa Interpretum, de quibus dictum est, omnis generis vitia. His autem ab Jahnio quidem vituperatis, attamen secundum Catholicam normam Scripturam interpretantibus, ego adjungo meam etiam Scripturae Sacrae Interpretationem per omnes Veteris, et novi Testamenti libros a. 1801.—1804. editam. In hac post Patrum vestigia, ad sensum Scripturae eruendum, ivi Catholico interpretandi more, et instituto, ut una tamen non tantum cetera, verum ista quoque, quae ab auctoritate Patrum, atque Ecclesiae judicio tenerentur, omnia Hermenevticis etiam rationibus demonstrarem: et interpretationes contrarias, in locis praesertim Dogmaticis, studuerim expendere.

§. 25.

Interpretes Protestantes.

Ex Protestantibus Interpretes clariores sunt Hugo Grotius, qui Adnotationes scripsit in libros utriusque

Testamenti, Joannes Drusius, qui Commentarios edidit fere in omnes Scripturae libros; Abraham Calovius, qui Biblia edidit notis illustrata; Ludovicus de Dieu, a modestia laudatus in scribendo, Joannes Clericus, Joannes Aug. Dathius, denique ii, qui etiam Criticorum magnorum nomine veniunt, et inter quos quidam etiam ex his sunt, qui jam sunt memorati. Hi Londini primum, deinde Amstelodami, et alibi quoque typis sunt editi. Iidem Critici Sacri, ut hoc eis nomen in titulo tribuitur, in compendium redacti, cum additamentis, et supplementis editi sunt pariter primum Londini, et postea alibi saepius, cujus compendii auctor Matthaeus Polus est. Non est istis etiam laus eruditionis deneganda, fuerunt insigni etiam lingvarum Orientalium peritia instructi: sed utique in eo sunt, ut per interpretationem sua quaerant fulcire placita religionis. Ex novissima vero Interpretationis epocha praeter eos, quos jam memoravi Interpretes, vix praeterea quispiam in Vetere toto Testamento interpretando laborem suscepit, nisi quod ejusmodi Opera protruserint, quibus Revelationi, quae est in Canonicis Veteris testamenti libris, atque una etiam Novi testamenti, perniciem molirentur, et per partes Scripturam adorti, quisque plagam ei conaretur infligere. Quod quibus moliminibus actum ab illis sit, jam in Prolegomenis harum Institutionum expositum est.

EXEGETICA EXERCITATIO

PROOEMIVM.

In hoc Institutionum tertiae Partis loco jam ipsa interpretatio ponitur. Selecta autem solummodo loca proponentur Scripturae, quantumque ratio harum Institutionum admittit, non tantum ut in his exemplis videri possit, quomodo fieri debeat interpretatio, superiusque datae regulae confirmentur; verum etiam, ut postquam ea, quae libris omnibus Canonicis Vet. Test. continentur, in antecedente Parte, quae Introductio fuit, cognitionis causa exposita sunt; ista quoque intelligerentur in iis praesertim locis Scripturae, atque rebus, quarum intelligentia, et demonstratio, atque defensio adversus falsam, et praeposteram interpretationem interpreti novitio, cujus gratia haec institutio fit, futura magis usui est. Quare delectus etiam fiet ejusmodi inprimis locorum, in quibus novi nostrae aetatis interpretes ostentant ingenium, eruditionemque suam venditant, sensusque novos producunt: ut eo magis adparere posset, qualis haec, et quam vera, quam erudita, et firma sit interpretatio.

I.

EX GENESI.

In principio creavit Deus caelum, et terram. Gen. 1. v. 1.

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃

Hinc intelligitur, caelum, et terram esse a Deo condita ex nihilo, atque ita, ut nihil adhuc omnium earum rerum exstiterit, quae in hac rerum universitate sunt. Nec hoc inde, quia Hebraicum *Bara* significet rem factam ex nihilo, nam de piscibus quoque, et de homine Gen. 1. v. 20, 27. idem hoc vocabulum adhibitum est, quamvis pisces jam ex tunc existente aqua, homo autem ex terra factus sit; sed quod caelum, et terra creata dicantur esse in principio. Nam principium nonnisi tunc fuit, quando res prima, quae antea non erat, existere coepit. Quod enim non est, nec esse incipit, initium non habet. Aeque initio caret, quod semper fuit. Et ideo, quamvis Deus ab aeterno sit, nullum tamen initium, atque principium, Deo existente, fuit, donec res quaepiam, quae nondum erat, existere coepisset. Ex quo sequitur, cum caelum, et terra creata dicantur in principio; ista sic esse facta, ut nihil aliud adhuc exstiterit ex omnibus, quae initium habent, et fuisse omnium

prima, quae existendi initium acceperint. Recte ergo S. Augustinus lib. 11. de Civ. Dei c. 6. *Literae sacrae*, inquit, *ita dicunt, in principio Deum fecisse caelum, et terram, ut nihil ante fecisse intelligatur: quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta, quae fecit.*

Quid vero, si materia exstitit aeterna, et ex hac Deus fecit caelum, et terram, quemadmodum senserunt non tantum philosophi complures gentiles, sed etiam Hermogenes, et Marcion haeretici et his temporibus, Voltaerus, Rosseauus, pluresque alii revelationis adversarii, creationem ex nihilo inter incerta referentes? Gentiles philosophi materiam, ex qua mundus iste factus sit, posuerunt esse aeternam, cum assequi intellectu non potuissent, quomodo quidpiam fieri possit e nihilo, prout hoc omnino ultra captum humani intellectus est, utpote divinum, et virtutis infinitae: quale neque esset, si ab homine, cujus finitus intellectus est, comprehendi posset. Idem de aeternitate materiae cum Deistae conati essent asserere, nulla vero idonea argumenta potuissent reperire; tamen subdole quaestionem moverunt, annon tamen talis esse materia potuerit, unde mundus iste constet, ut ita ejus creationem e nihilo si tollere non possent, saltem incertam facerent. Si vero mundus ex materia aeterna factus esset; ejus omnis haec factio tantum in eo consisteret, quod alia forma materiae indita esset, de cetero autem quoad substantiam talis mansisset, qualis ab aeterno fuit. Itaque nihil fuisset, quod non jam etiam prius exstitisset. Neque ergo etiam hoc, in quo Deus caelum, et terram creavit, fuisset principium, perinde sicut neque nunc, dum materia identidem in aliam formam transmigrat, idcirco mundi fit initium.

Sed et Moyses, quamvis eodem verbo, *creare* usus sit, loquens de creatione caeli et terrae, et de ortu hominis, atque piscium, horum ex aqua, illius e terra,

C. 1. v. 21. C. 2. v. 7. tamen non ista, cum essent facta ex rebus jam existentibus, sed caelum, et terram dixit creata esse in principio, manifesto indicio, non eamdem ei fuisse originem e rebus jam existentibus, cum creatione caeli, et terrae, facta in principio. Nec aliter creationis vocabulum, dum sermo esset de hujus universi origine, sumptum esse ab Hebraeis, apparet ex 2. Mach. 7. v. 28. ubi mater ad filium, *Peto*, inquit, *nate, ut adspicias ad caelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo* (ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non existentibus*) *fecit illa Deus.* Haec creatio hujus universi non aliunde, quam e nihilo constat etiam per definitionem Ecclesiae, factam in concilio Lateranensi IV. Cap. *Firmiter.* Cujus haec sunt verba: *Creator omnium invisibilium, et visibilium, spiritualium, et corporalium sua omnipotente virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam.*

II.

GENES. 2. v. 17.

De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

וּמֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי בְּיוֹם
אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת

Vixit vero Adam, postquam adversus hanc prohibitionem comedisset ex arbore hac, adhuc diu, et anno tantum aetatis suae 930. mortuus est. Gen. 5. v. 5. Sensus itaque est, quacunque die comedisset fructum, ex hac arbore sibi vetitum, futurum mortalem, et morti obnoxium, ut hoc etiam sic exponit S. Chrysostomus *homil.* 17. *in Gen.* Fuit homo secundum animam, et corpus creatus a Deo immortalis, et ut Sapientiae 2. v. 23. est *inexterminabilis*, *ἐπὶ ἀφθαρσία*, *in incorruptione*, *in conditione immuni ab interitu.* Qui proinde moriturus non esset, nec mori posset, nisi conditionem, sub qua immortalitatem a Deo accepit, violasset. Atque hoc est, quod ei dictum sit a Deo: *In quacunque die comederis, morte morieris.* Hinc namque intelligitur, si comedendo Dei mandatum transgressus non esset, moriturum non fuisse. Mortem Adamus, quoad corpus, incurrit praevaricando Dei mandatum, qua animae fit separatio a corpore, atque hoc putrefactum abit in pulverem, cui post

praevaricationem dictum est a Deo: *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Gen. 3. v. 19. Mortuus vero est quoad animam per peccati, quo se inquinavit, reatum, *quod mors*, ut dicit Concilium Tridentinum Sess. 5. can. 2. *est animae;* justitiam perdidit, et sanctitatem, in qua creatus est; Eph. 4. v. 24. factus est irae divinae obnoxius, et reus aeternae damnationis, haeredes, et consortes habiturus sui peccati, atque damnationis omnes suos posteros. *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri,* Eph. 2. v. 3. et *Judicium per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Rom. 3. v. 16—18.

Jam ista S. Pauli verba sufficiunt ad pervidendum, peccatum ab Adamo, quod admisit fructum vetitum edendo, ejusque consectaria transiisse in omnes etiam illius posteros. Idem vero clarum fit ex his illius etiam verbis: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* et iterum: *Vnius delicto multi mortui sunt, — per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi;* Rom. 5. v. 12, 15, 19. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15. v. 22. Attamen et jam olim Pelagiani, et recentiore memoria Zvingliani, Anabaptistae, et Sociniani varias iniverunt vias Apostoli verba explicandi sic, ut quod peccatum Paulus docet per unum hominem intrasse in mundum, non maneat peccatum, nec reatum habeat aeternae damnationis. Ex Protestantibus quoque iis, qui sunt ex Literatura nova, dum in Augustana confessione rigidior etiam esset sententia de eo, quod congenitum nobis est, ab Adamoque venit peccatum, originaleque consvevit dici, quique ex sola etiam concupiscentia, quamvis consensus datus ei non esset, fecerint peccatum; novae nunc prodierunt interpretationes,

quarum omnium scopus est, exsufflare dogma Fidei de originali peccato. Horum alii, et nominatim Döderlein lib. 2. cap. 1. dicunt, ab Adamo, cum solus cum Eva uxore sua, violando Dei mandatum, peccasset, et ideo mortis poena affectus esset, mortem hanc transiisse ad omnes etiam illius posteros: consequens enim esse, ut mortalis nonnisi mortalem etiam posset gignere: et quatenus sic mors, peccati poena, inflicta primis parentibus transierit ad eorum posteros; eatenus Paulum dicere, Adami omnes posteros cum hujus peccato communionem habere. Alii, ut David Michaelis in suo libro *de Peccato*, ponunt, ab ipso Deo mortem, quam incurrerat Adam peccando, ad ejus etiam posteros extensam esse, quatenus Deus gratuitum immortalitatis donum, ex suaque praecise liberalitate primo homini collatum, et quod tantum sub conditione, si Adam in observantia erga Deum perstitisset, ad ejus posteros transiret, abstulerit: et quo pacto hi ad eam reciderint conditionem, quae moriendi naturalis ipsis esset. Neque enim ulli creato enti, vi creationis competere, ut aeternum vivat, et duret. Itaque nec mortem istis, quamvis hanc subeundam haberent, poenae nomine venire, et eo minus propter Adami culpam ad istos pervenisse aliam aliquam poenam, nec in his ideo reatum esse alicujus peccati, quod proprie peccatum dici deberet. Alii in ipso fructu, qui Adamo fuit a Deo prohibitus, constituunt venenum, idque naturale, et quem cum comedisset Adamus, seque infecisset hocce toxico; hinc partium perturbatio secuta sit in illius corpore, praeterea debilitatio intellectus, voluntatisque depravatio, atque ipsa moriendi etiam necessitas venerit, quaeque omnia, tamquam haereditarium quemdam morbum in posteros suos transmiserit.

Haec tertia a Protestantibus, quos Naturalismus afflavit, excogitata interpretatio arrisit etiam Jahnio Append. Herm. Fascicul. II. pag. 214. et pluribus aliis

ex ipsis etiam Catholicis, adeo, ut quidam hanc non tantum in sua dogmatica, et morali Theologia habeant, sed eadem etiam jam in quodam Viennensi Catechismo legatur. Hi e Catholicis confitentur originale peccatum, atque ita se hoc dicunt credere, quemadmodum doceat Catholica Ecclesia. Nam Protestantibus his, de quibus modo dictum est, ex illorum etiam confessione, non est in originali peccato quidpiam, quod vere esset peccatum, aut poenam afferat ullam, et damnationem, utpote quae nec esse possit, ubi non sit peccatum. Hoc vero idem facere non potest, quisquis saltem videri vult sentire Catholice. Nimis enim apertum esset, sentire illum adversum id, quod de Originali peccato definitum est ab Ecclesia, cujus hae sunt in concilio Tridentino factae decisiones: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuit transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Sess. 5. can. 1. *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum etc.* Can. 2. *Si quis parvulos,*

recentes ab uteris matrum, baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam — anathema sit. — Ideo enim etiam parvuli, qui nihil adhuc peccatorum in semetipsis committere potuerunt, in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu s. non potest introire in regnum Dei: Can. 4. et in Florentino pariter generali concilio in decreto Vnionis: *Definimus illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

His Ecclesiae definitionibus expensis, potest clare perspici, nullam harum, quae modo productae sunt, sententiam, et explicationem originalis peccati posse teneri ab homine Catholico, salva fide Catholica. Quae omnes tollant, et sufferant peccatum, ab Adamo fluens in ejus posteros, ut re, non solo nomine peccatum sit, per quod hi, perinde ut Adam, iram Dei, et indignationem incurrerint, in poenamque mortis non tantum corporis, sed etiam animae inciderint, sanctitatis, et justitiae facta jactura, in qua Deus primum hominem creavit, et quam habuissent, nisi Adam hanc sibi, et illis peccando perdidisset: quodque nisi originale peccatum esset, infantes, qui nihil adhuc peccatorum in seipsis committere potuerunt, non veraciter in remissionem peccatorum baptizarentur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt: sed neque in solo originali peccato decedentibus descendendum in infernum esset, ubi poenis puniantur, tantum disparibus ab iis, qui ob peccatum, propria etiam actione commissum mortale, poenas ibi sustinent.

Ex his

Ex his autem sententiis, quae sunt relatae, ea praesertim habet sectatores, ex ipsis etiam Catholicis, ut jam demonstratum est, quae transfusionem peccati ab Adamo in ejus posteros ponit in veneno, quod in eo fructu fuerit naturale, quem comedit Adam adversus prohibitionem divinam: nec facile dictu est, quantopere sibi in hac complaceant, quasi res sic in apricum tandem deducta esset, quae semper habita sit obscurissima, et intricatissima, ut non solis tantum videri possit fidei revelatae oculis, verum etiam humanae rationis. Primo autem, quod dicunt, in fructu illo, quem comedit Adam fuisse naturale venenum, hominique afferens perturbationem corporis, et animi, libidinemque perverse, et Deo contrarie agendi, ipsamque mortem, est pura putaque assertio, quam nec probant, nec possunt probare. At prudentis non est adstruere, cujus nullam dare rationem, et afferre probationem possit. Deinde, si mors ab illo fructu, ut ponitur venenato, descenderet, et iste hanc vim hominis necandi habuisset, sequeretur, ab hoc fructu, etiamsi citra prohibitionem divinam illum comedisset Adam, et quamvis immortalitate a Deo donatus esset; tamen ipsum, atque ejus posteros omnes morituros fuisse. Vnde vero haec vis istius fructus, aut rei cujuscunque alterius, ut divinam posset evertere de hominis immortalitate constitutionem? Et Deusne creando hanc arborem contraria sibi ipsi fecit, dando immortalitatem homini, sed una hanc arborem ei adponendo, per quam immortalitatem quam accepit, amitteret? Hoc ergo nonnisi commentitium est venenum istius fructus, quod nec cum potentia, nec cum sapientia Dei componi potest. Non cum potentia, si quid fuisset, quod ejus decretum de hominis immortalitate posset in irritum mittere; non cum sapientia, si duo fecisset, quorum unum tenderet in destructionem, et eversionem alterius.

Sed habent, ne videantur adstruxisse in Deo male secum cohaerentia. Dicunt, ad hoc ipsum, ut homo sciret sibi cavere ab exitiali arbore, Deum dedisse Adamo mandatum de non comedendo illius fructu. Quem vero Deo fuisse finem, cur esum istius fructus interdixerit Adamo, iterum tantummodo ipsi dicunt. Nam si eum tantum in finem Deus praeceptum dedisset Adamo de abstinendo ab hoc fructu, ut ei caveret, annon magis cautum fuisset, si hanc arborem nequidem creavisset, quae illud posset destruere, quod Deus statutum fecit de immortalitate, qua praeditus esset homo? Et si tantum Deus ad cavendum homini, mandatum hoc dedit abstinendi ab hujus arboris fructu, cur non idem fecit quoad cicutam, arsenicum, et quae sunt multa hujus generis homini venenata, et mortifera alia: quae homini exitialia esse, constat experientia; cum de fructu illius arboris, ex qua comedit Adam, hoc tantum ipsi dicant, quin vel umbram habeant alicujus rationis, et probationis? An alia venena homini ad immortalitatem facto, nocere non potuerunt, et tantum hanc vim nocendi sola illa arbor habere potuit? Et quare tantum ista, et non alia venena, quae sunt etiam modo homini letifera?

Apostolus docet, mortem per peccatum intrasse in mundum, et ita, videlicet per peccatum, mortem pertransiisse in omnes homines. Rom. 5. v. 12. Si ex fructu, quia venenatus fuit, morti obnoxius factus est Adamus, vique istius fructus eadem mors propagata est ad omnes ejus posteros; non per peccatum, sed per hunc fructum Paulus dicere debuisset, mortem intrasse in mundum. Nam, quamvis etiam peccasset praevaricando Dei mandatum comedendo hunc fructum; tamen causa mortis venenum istius fructus ei fuisset, cui ipsum etiam hoc mandatum abstinendi ab hoc fructu tantum contra istud venenum, ne per hoc in mortem incideret, datum fuisset. Protestantes, qui sic per venenatum fructum mortem

incurrisse Adamum, et hanc eadem via hujus fructus derivant in ejus posteros, vident, si concedatur, mortem, cui obnoxii facti per Adamum sumus, effectum esse peccati, etiam mortis causam debere esse peccatum. Nolunt autem confiteri, ipsum peccatum etiam ab Adamo manasse ad illius posteros. Idcirco suo ingenio subdole aliam induxerunt mortis causam. Annon ergo vel hinc istis e Catholicis Protestantium, ab ipso etiam Protestantismo deviorum, pedisequis, apparere debebat, per huncce venenatum fructum, ex quo ab Adamo in genus humanum derivant mortem, esse negationem originalis peccati?

Etiam vero hinc istam potuissent clare videre. Dant, et debent dare, si Catholici volunt haberi, infantes, etiam ex baptizatis parentibus prognatos, nasci obstrictos originali peccato, id, quod et olim contra Pelagianos decisum est ab Ecclesia, et iterum in Concilio Tridentino *Sess.* 5. *can.* 4. qui etiam supra allatus est. Hic jam quid reperiunt? quonam modo peccatum hoc originale sumunt de infantibus, et interpretantur? Dicunt, vi illius venenati fructus, cujus morbus, et contagio in infantes ab Adamo fluxerit, esse his innatam dispositionem, ut anima, postquam ratione uti coeperit, magis in ista feratur, quae sensibus arrident, Deoque sunt contraria, quam ea, quae sint voluntatis, ac legis divinae. Hoc esse, cur Deus jam infantem aversetur, in quo talem videt dispositionem in machina infantilis corporis, atque hoc esse originale peccatum. Atqui ista dispositio ad peccatum solummodo futurum, nondum peccatum est, et cujus infans nullam adhuc voluntatem, et ne cogitationem quidem aliquam habet. Ergo juxta hanc interpretationem nullum veri nominis infantes haberent peccatum. Deinde illa dispositio, et pronitas ad peccandum, quae concupiscentia vocatur, manet etiam in baptizatis, quin tamen ideo Deus istos aversetur, et quin haec concupiscentia

4*

in renatis per baptismum vere, et proprie peccatum sit, quemadmodum est in concilii Tridentini Sess. 5. can. 5. et quin in his quidquam etiam damnationis sit, qui non secundum carnem ambulant, ut in eodem modo citato Tridentini concilii canone est, atque ipse etiam Apostolus docet. Rom. 8. v. 1. Ergo nec in infantibus, nondum baptizatis, dispositio haec ad peccatum, atque propensio, peccatum est. In hac autem sola ponitur originale peccatum ab iis, qui propensionem ad peccandum, ipsamque mortem corporis a venenato fructu, quem comedit Adam, repetunt. Ergo hoc nullum est in infantibus nondum baptizatis peccatum. Ista erga traductio peccati, et mortis ab Adamo per causam fructus venenati non agnoscit originale peccatum, in quo nascantur infantes. Iste vero error damnatus est ab Ecclesia, estque virus Pelagianum, quod ad ipsum Fidei fundamentum destruendum dirigitur ut inquit S. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 3. Non ergo per venenum fructus illius, quem comedit Adam, naturale, ab Adamo fluxit peccatum, quod vocamus, originale; sed hoc venenum fuit positum in sola violatione divini mandati, et asserere per naturale tantum venenum illius fructus, quem comedit Adam, et unde in nobis tantum dispositio ad peccandum nata sit, atque mors inducta, venenum est omni naturali veneno magis mortiferum, et exitiale.

Homines isti suo praecise intellectu rimantur propagationem peccati originalis ab Adamo in ejus posteros. Solo autem intellectu a nobis non percipitur. Sed fides a Deo revelata illam docet. Qui ergo istam non credit, Deum mendacem facit, non habens verum, quod in Scriptura sacra, quae ejus verbum est, Deus perhibet. Iidem putant adversus justitiam futurum, si infantes etiam, nedum alii damnarentur propter originale peccatum. Sumus vero, qui eramus creati in justitia, et sanctitate veritatis, *Ephes.* 4. v. 24. ex hoc peccato filii irae facti,

Ephes. 2. *v.* 3. et per unius delictum judicium est in omnes homines in condemnationem. *Rom.* 5. *v.* 18. *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram?* Rom. 3. v. 5. Non erimus tuti adversus pericula errorum, nisi scuto Fidei, quod nos Apostolus jubet in omnibus sumere, *Ephes.* 6. v. 16. protegamur.

III.

GENES. 3. v. 1.

Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, (Deus) scientes bonum, et malum.

Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit.

וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָה
אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה אַף כִּי־אָמַר אֱלֹהִים לֹא
תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן׃ וַתֹּאמֶר הָאִשָּׁה אֶל־הַנָּחָשׁ מִפְּרִי
עֵץ־הַגָּן נֹאכֵל׃ וּמִפְּרִי הָעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ־הַגָּן אָמַר
אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִמֶּנּוּ וְלֹא תִגְּעוּ בּוֹ פֶּן־תְּמֻתוּן׃
וַיֹּאמֶר הַנָּחָשׁ אֶל־הָאִשָּׁה לֹא מוֹת תְּמֻתוּן׃ כִּי יֹדֵעַ
אֱלֹהִים כִּי בְּיוֹם אֲכָלְכֶם מִמֶּנּוּ וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם וִהְיִיתֶם
כֵּאלֹהִים יֹדְעֵי טוֹב וָרָע׃ וַתֵּרֶא הָאִשָּׁה כִּי טוֹב הָעֵץ
לְמַאֲכָל וְכִי תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל
וַתִּקַּח מִפִּרְיוֹ וַתֹּאכַל וַתִּתֵּן גַּם־לְאִישָׁהּ עִמָּהּ וַיֹּאכַל׃

Dum superiore loco, quem tractavimus, tanta molimina vidimus adversus dogma de peccato, quod ab Adamo primo parente trahimus omnes, hominum, qui modo nobis Scripturae novam interpretationem offerunt, per quam tandem post tot seculorum ignorantiam, et tenebras ad veram illius intelligentiam perducamur; facile est perspectu, nec in isto loco, in quo per Moysem exponitur, quomodo peccatum hoc commissum ab Adamo

sit, oblitos esse, huic etiam narrationi, sensum indere, qui eidem proposito de doctrina Originalis peccati congrueret. Vix alius est Scripturae locus, ubi suum magis hi conditores novae interpretationis ingenium exercuissent, et tam varios, ac multiplices interpretandi modos tentassent. Aliis est haec tantum fabella Aesopicarum similis, aliis philosophema, quo nomine intelligitur id, quod ingeniose a quopiam conceptum est, sed acutiore adhuc mente, quam qua opus sit ad fingendam fabulam, et sub cujus tegumento vel fabulae, vel philosophematis doctrina, pertinens ad mores proposita sit, perinde ut ipse Christus hoc fecerit per parabolas. Alii serpentem, et arborem, ex qua comedisse narratur Adam, tanquam hieroglyphicas considerant figuras, quales fuerint Aegyptiis, et quibus usi sint ad quidpiam aliud significandum eadem ratione, qua hoc a nobis fit per literarum formas. Carolus Frider. Bahrdt, in libro, quem de Paradiso scripsit, cum in praefatione quaestionem movisset, annon haec tota narratio esset habenda pro morali fabula, deinde scriptum ponit anonymi, sed sub quo ipse lateret, quamvis stilum etiam ipsum mutaverit, ne ex hoc agnosci posset, in quo totam rem allegorice explicat, et per paradisum docet, intelligendam esse primi hominis internam felicitatem ex bona conscientia, et cujus amissio significet, pulsum illum ex paradiso esse; per serpentem intelligit venas, et sangvinem in corpore humano, cujus irritamento inductus sit Adamus ad edendum vetitum sibi a Deo fructum. a) Immanuel Berger in sua Introductione practica in Vet. Test. ponit etiam quidpiam verae rei pro fundamento, et quodpiam par hominum fuisse ex familia, ex qua Abraham descenderit, non tamen omnium primum, atque hoc par hominum cum aliquamdiu habitasset in regione

a) David Michaelis Biblioth. Oriental. Tom. I. part. 3. pag. 134.

omnium rerum feracissima, hinc deinde vi tempestatis esse coactum ad deteriorem aliam terram demigrare. In illa vero fortunata regione fuisse arbores duas, quas antea antiquitas Deo consecraverit, et fas sibi deinde non duxerit esse, harum fructum attingere. Sed dum serpentem vidissent edentem ex illarum una, absque ulla laesione, et incommodo, idemque illud par hominum post serpentem fecisset, ac deinde illa tempestas incidisset, ob quam fugere inde coacti sint; vicem hanc suam esui fructus ex illa Deo consecrata arbore, sua opinione, tribuerint. a) Idem eodem loco totam creationis historiam pias fraudes (gutmüthige Täuschungen) non dubitat vocare. Similis fere est explicatio Joan. G. Eichhornii in libro, *Urgeschichte.*

His autem omnibus interpretationibus, meliorem se Jahnius credidit reperisse, quam *Introduct. Part.* 2. *pag.* 118. *Germ.* proponit. Se videlicet rem sibi sic actam repraesentare: Evam dormivisse non procul ab arbore, et somniasse omne istud cum serpente suum colloquium: cumque deinde reipsa casu serpens per arborem scandisset, Evamque foliorum motu, atque sonitu e somno excitasset, et illa hunc conspexisset; somnium quod valde vividum fuerit, pro re vere acta habuisse, utpote, quae tunc ne sciret quidem adhuc somnium ab re, quae a vigilante fit, bene discernere, et quam etiam quasi vere actam aliis deinde enarraverit. b) In hac autem sua interpretatione sibi complacens, eamdem inde etiam voluit comprobare

a) Eichhorn Allgemeine Bibliothec Tom. 9. pag. 326.

b) Ich stelle mir den Vorgang der Sache so vor: Eva schlief unweit von dem Baume, und träumte diese ganze Unterredung sehr lebhaft, da sie hierauf eben durch das Geräusche, welches eine Schlange auf dem Baume durch das lebhafte hin, und her Klettern in dem Laube erregte, erwachte, und diese Schlange erblickte; so hielt sie, da sie ohnehin, aus Unerfahrenheit,

quia Gen. 2. v. 21. 22. somnium memoretur expresse, quod Adam etiam habuerit, et postea enarraverit. Ita omnes evanescere difficultates, quas iste locus habeat; deinde cuique adhuc manere liberum, daemoni etiam penes serpentem actionem tribuere, quemadmodum iste Sap. 2. v. 24. Joan. 8. v. 44. Apoc. 12. v. 9. humano generi mortis auctor fuisse perhibetur. Num ista omnia non sunt portenta, et monstra interpretationum?

Fuit autem iste, qui Evam seduxit, verus, et naturalis serpens: sed quo, tanquam instrumento, usus daemon sit, quemque subierit, et ex quo locutus sit cum Eva. Naturalem serpentem fuisse, clarum est ex verbis Moysis: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Gen. 2. v. 1. Nam qui serpens hoc dixit, hunc Scriptura docet, ex animantium generibus fuisse, quae creavit Deus. Idem deinde serpens inter omnia animantia, et bestias terrae dicitur maledictus a Deo. Ergo ipse etiam ex his animantibus, et bestiis terrae intelligitur fuisse, eique, ut ventre reperet super terram, poena inflicta est a Deo: quod pariter nonnisi de naturali serpente intelligi potest.

At vero in hoc serpente fuisse etiam daemonem, ista evincunt: nam teste Sapiente *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum;* Sap. 2. v. 24. de eodem Christus testatus est: *Ille erat homicida ab initio,* Joan 8. v. 44. de eodem Apocal. 12. v. 9. est: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui*

---

den träumenden Zustand von dem wachenden noch nicht so scharf unterscheiden konnte, und der Traum auch sehr lebhaft war, den ganzen Traum für eine wirkliche Unterredung, und erzählte ihn daher auch als eine wirkliche Unterredung.

vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem: nec de alio serpente, quam diabolo, loquitur Paulus: *Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* 2. Cor. 11. v. 3.

Omnes itaque aliae interpretationes, quas modo vidimus, falsae sunt, quibus res vel in fabulam, vel in allegoriam convertitur per istos fabulatores potius, quam interpretes, qui non aliud, quam figmenta sua vendunt. Et Jahnii per Evae somnium explicatio potestne aliud etiam haberi, quam proprium ipsius somnium? Is cum in Introduct. in libr. Vet. Foed. ut verba ejus exhibent ad calcem paginae anterioris posita, de tota hac re locutus esset, veluti de somnio, quod viderit Eva, et unde consequens erat, nec Evam, et minus Adamum fructum comedisse vetitum, utpote, quae res acta fuisset pure per somnium in phantasia Evae, atque adeo nullam etiam divini mandati factam violationem esse, hanc deinde in Fasciculo II. suae Appendicis Hermenevticae pag. 219. sic temperavit: *Eva, in vicinia arboris dormiente, serpens, more suo, arborem conscendit, atque strepitu, et sibilo occasionem somnio praebuit: evigilans mulier conspexit serpentem de fructu vorantem, et multo vegetiorem: ex quo conclusit veritatem somnii, et de fructu manducavit. Si diabolus, ut Sap. 2. v. 24. et in N. F. dicitur, intercessit, serpentem duntaxat illo ipso tempore, quo mulier ibi dormiebat, subornavit, ut arborem conscenderet: quod ipsum tamen in hac narratione non attingitur, nec, quia protoparentibus nostris ignotum erat, attingi potuit.*

Attamen hac etiam facta temperatione, manet non eo minus hoc ipsius Jahnii tantum purum putum somnium, cujus nullum fundamentum, vel vestigium dare in Moysis narratione possit. Deinde eam, quam Scriptura testa-

tur Evae deceptionem per daemonem, ponit in eo, etiam a se tantum conficto, quod is serpentem naturalem subornaverit, ut arborem conscenderet, et ex cujus reptatione, ac sibilo excitatum illud in Eva somnium sit. Nam quae naturalis causa potest cogitari ex sola serpentis reptatione per arborem, et sibilo ad somnium illius cum serpente colloquii in Eva excitandum, et quidem in hac jam dormiente? quae etiamsi motum aliquem, et sibilum percepisset, tamen distingvere certe non potuisset, fieri hunc a serpente. Etiam vero hoc Evae somnium *in Introduct. in lib. V. F.* vult probare inde, quia etiam Adami somnium memoretur Gen. 2. v. 21. Est hoc loco, Deum immisisse soporem in Adamum, cumque obdormivisset, tulisse unam de ejus costis, et hinc aedificasse mulierem. Jahnius autem pro sopore, et somno substituit somnium. Estne vero idem somnus, et somnium? Deinde etiamsi haec res, et costae exceptio ex latere Adami facta esset in somnio, nondum tamen consequens esset, quia istud fuerit somnium, perinde Evam tantummodo somniasse suum colloquium cum serpente. Vere autem, et reipsa costa excepta est a Deo ex latere Adami. Secus enim dici non potuisset a S. Paulo: *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro* 1. Cor. 11. v. 8. sed neque Adamus dicere potuisset: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Gen. 2. v. 23. Igitur nec costae exceptio ex latere Adami acta est solummodo in illius somnio. Nihil ergo etiam hinc potest habere Jahnius ad adstruendum somnium in Eva, per quod somnium nonnisi locuta sit cum serpente.

Est et illud advertendum. Dicit Jahn, quod daemon subornaverit serpentem ad conscendendam arborem, tantum, *si diabolus, ut Sap. 2. v. 24. et in N. F. dicitur, intercessit.* Ergo nec pro certo, et indubitato habet, diabolum intercessisse in hac deceptione Evae, tametsi videat, et agnoscat, hujus testes esse Sapientiae, et N. F.

Canonicos libros. Sed et hoc quale est, quod dicit, ideo istud de daemone subornante serpentem non potuisse in hac narratione, quae in Geneseos libro est, attingi, quia protoparentibus fuerit ignota. Fuitne creatio rerum, facta sex dierum spatio, istis nota? et estne haec tamen literis prodita a Moyse? Idem asserit, quemadmodum supra Part. II. Cap. 13. demonstratum est, Moysem composuisse historiam Geneseos ex documentis antiquis. Nunc dicit, Evam somnium de sua collocutione cum serpente habuisse pro re acta vere, et tanquam talem narrasse aliis. Ex Evae autem narratione nonnisi confici potuit documentum, ex quo Moyses sumere potuerit hanc de Eva, et serpente narrationem, qui secundum Jahnium neque aliter, quam ex antiquioribus documentis scribere rem, se anteriorem potuerit. Falsitate laborat hoc documentum ex falsa Evae narratione. Ergo ex hoc documento sumpta neque vera erit haec Moysis de Eva, et serpente narratio. Ita vero ista Jahnii interpretatio de collocutione Evae cum serpente distabitne ab illorum sententia, qui hanc Moysis narrationem habent pro figmento, et fabula?

IV.

GENES. 6. v. 15.

Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius.

שְׁלֹשׁ מֵאוֹת אַמָּה אֹרֶךְ הַתֵּבָה חֲמִשִּׁים אַמָּה רָחְבָּהּ
וּשְׁלֹשִׁים אַמָּה קוֹמָתָהּ.

Jam olim Celsus philosophus, quemadmodum est apud Origenem lib. 4. contr. eumdem Celsum. Apelles haereticus, pluresque alii adversus Moysis narrationem de arca, et diluvio insurrexerunt, falsamque probare conati sunt, ut sic Moysis fidem labefactarent in Pentateucho. a) Idem eodem proposito fecerunt Deistae, Religionisque revelatae hostes, et impugnatores, ex hisque nominatim Auctor philosophiae *Du bon Sens*, cujus facta mentio jam est supra Prolegom. §. 12. Subtiliores sunt novissimae epochae interpretes, interpretationisque novae artifices. Nimis crassum his videtur, totam rem falsam habere. Valde enim aperte poneretur Moyses figmentorum venditor in suo Pentateucho. Quid igitur faciunt? Dant eorum plerique, verum hoc fuisse diluvium, de quo scribit Moyses: quod tamen non totius

---

a) S. Augustinus lib. 15. de Civ. Dei. c. 27.

orbis fuerit diluvium, sed alicujus tantum regionis, et quale diluvium memoretur a Diodoro Sic. lib. 1. in Aegypto Promethei, et Herculis tempore mensis unius, alterum in Attica duorum mensium sub rege Ogyge apud eumdem Diodorum lib. 6. tertium, hieme integra durans, in Thessalia aetate Deucalionis apud Ovidium lib. 1. Metamorph. Virgilium lib. 1. Georg. a) Hoc vero tale unius alicujus regionis diluvium esse deinde mythicis coloribus pictum a Moyse secundum indolem, ac morem res narrandi illius aevi, quo Moyses vixit. Sic statuit, diluvium hoc sumendum esse, quod sub Noe fuit, idem ille, qui jam productus supra est, Immanuel Berger *in Introduct. sua practica Vet. Test.* quo Deum usum esse ad homines flagitiosos puniendos tantum etiam a Moyse scriptum sit secundum persvasionem hominum falsam, quae se prodat per totum vetus testamentum, donec refutata haec a Christo opinio esset: cui concinit Gottl. Wilhelm. Meyer in sua pariter Hermenevtica. Sunt tamen, qui etiam universale credant fuisse, ut David Michaelis in Adnotationibus suis ad hunc locum, attamen ex pure naturalibus causis.

Duo autem potissimum sunt iis, quibus vel integre, vel ex parte diluvium est fabulosum, et fictum. Arcam ejus magnitudinis, cujus ponitur fuisse a Moyse, non fuisse capacem ad recipienda omnia animalia una cum alimentis in unum annum, quo ponitur durasse diluvium;

---

a) Hoc, quod a Poetis Deucalionis diluvium dicitur, illud ipsum sub Noe universale diluvium fuisse, apparet ex Luciani libello de dea Syria, et ex Plutarcho qui in libro *de animalium industria* a columba allatum esse indicium recedentis diluvii scribit. De Beroso Chaldaeo scriptore vetustissimo habet Josephus I. I. contr. Apion. *Berosus antiquissima scripta sequens eadem, quae Moses, narrat de magno diluvio, hominumque per id interitu, ac de arca, in qua Noachus generis nostri auctor servatus est.*

deinde nultatenus etiam potuisse fieri, ut ejus altitudinis aquae essent, quae quindecim cubitis, quemadmodum est Gen. 7. v. 20. excederent altissimos montes. Quod ad primum attinet, jam Joannes Buteo Anglus, et Le Pelletier Rothomagensis Gallus capacitatem arcae ad calculum vocarunt, facta consideratione, quanto opus fuerit spatio omnibus illis animantibus, quae Scriptura testatur fuisse in arca, ita ut Le Pelletier aquae etiam dulcis urnas 31174 Parisienses, et aliquot ovium millia computaverit solummodo in cibum, et potum animalium, quae carnivora erant in arca. Quibus vero et aquis ad potum, cum sumi etiam potuerint e diluvio, quod sic salsum non fuit, ut sunt aquae marinae, et ovibus, quod carnivora animalia alia etiam esca servari possint, quae nec ab initio creati mundi carnivora fuerint, nequidem opus fuerit. Deinde, quae species jam modo plures sunt animantium, quaeque degenerando, perque mixturam in coitu enatae sunt, non debebant totidem poni ad arcam. Quam multae sunt species canum? quas tamen omnes hodierni etiam Historiae naturalis indagatores, et scriptores ad unum genus, quod pastoritium est, redigunt. Demonstravit autem Buteo, et Le Pelletier ducto calculo, abunde omnino suffecisse arcam ad animalia illa omnia, atque annonam pro his in annum capienda. Nec eousque timendae erunt angustiae aliquae hujus arcae, donec novi nostri Interpretes, alio suo calculo contrarium evicerint. Quod nemo illorum ad hoc usque tempus praestitit, nec quidquam solidi proferre in contrarium potuit.

In illa itaque aquarum mole tam alta, ut montium altissimorum vertices excesserit quindecim cubitis, majus sibi locant praesidium adversum hocce diluvium. Neque enim ex aquis tam iis, quae in aëre, quam quae in superficie telluris sunt, aut etiam infra, potuisse cogi has aquas ad tale efficiendum diluvium. Nam vapores omnes

qui innatant aëri, et unde fiunt aquae e caelo deciduae, et pluviae, si caderent, non posse efficere, et dare aquam in terrae superficie altiorem pedibus duobus, et triginta: quod ulteriori ponderi aër non sit ferendo. Aquas, quae in maribus, et fluminibus sunt, non aliter posse egredi extra litora sua, et ripas, nisi aquarum affluxu aliunde urgeantur. Eas vero aquas, quae sub terra sunt; etiamsi primo impetu, dum erumperent, aquas in maribus, et fluminibus possent sursum pellere; tamen, impetu illo cessante, recidere debuisse pondere suo, unde erumpentes locum vacuum reliquerunt. At vero, postquam quadraginta dies in hoc diluvio incrementum duravit aquarum, tum jam factam esse eam illarum altitudinem, quae quindecim cubitorum supra altissimos montes posita est a Moyse. Gen. 7. v. 17—20. et tamen dici, in hac altitudine annum constitisse aquas, quo temporis spatio duravit diluvium. Illum adhuc unum modum cogitari posse, si aquae hae omnes ponerentur rarefactae, unde volumen illud tantum acciperent superans altissimos montes. Sed sic aquas, quae debebant portare arcam, tam gravem, et tanti ponderis, non mansuram fuisse parem huic oneri ferendo.

Itaque hinc istis, qui non credunt, hoc universale diluvium fuisse, nihil tam esse putatur certum, quam sit istud. Refellit vero hoc ipse etiam David Michaelis. Nam inter altissimos montes, quorum juga superaverit aqua cubitis quindecim, fuisse utique Moysi etiam montem Libanum, dum scriberet, non eidem ignotum. Jam si hunc Libanum, qui ita altus est, ut ejus vertex numquam careat nivibus, ita superavit aqua, hanc non potuisse consistere tamdiu, et spatio unius anni, nisi vicinum etiam mare Mediterraneum totum in eadem altitudine cum aquis supra verticem montis Libani fuisset. Europam ergo debuisse inundare, Asiam, et Africam totam, quaeque omnis aqua inundans, nisi eamdem cum

mari Mediterraneo altitudinem obtinuisset, neque mare hoc suam montis Libani aquis parem altitudinem retinere potuisse, utpote extra aequilibrium. Ex mari autem Mediterraneo tam alto, necessario iterum debuisse ruere aquas in mare Atlanticum, nisi istud quoque tam altum quam Mediterraneum fuisset. Neque vero etiam Atlanticum potuisse esse in hac altitudine; nisi omnis etiam America ejusdem altitudinis inundationem habuisset. Ita probat, et bene probat ipse etiam David Michaelis, diluvium fuisse universale.

Non tamen eo minus ille etiam hoc ab naturali causa repetit, ab ignibus videlicet subterraneis, quorum vi aquae subterraneae accensae sursum prosilierint, easque, quae in maribus, et fluviis sunt, sursum expulerint. Hunc autem in hac explicatione adjuvat Jahnius, illos cubitos quindecim, quibus aquae dicuntur a Moyse superiores fuisse altissimis montibus, sic interpretando: eatenus dici hos cubitos quindecim, quibus aquae superaverint montes; quatenus nemo diluvium evadere potuerit in montibus. a) Dum vero hunc sensum adstruit ideo sic, ut illam aquarum altitudinem quindecim cubitorum supra altissimos montes sufferat; clarum fit, ipsum hanc aquarum altitudinem non credere, adeoque sibi facere diluvium, non quale Moyses

---

a) Bloss auf die Absicht zu sehen, nach welcher der Verfasser nur sagen wollte, niemand habe sich auf den Bergen retten können. Einleitung in die Göttl. Büch. Part. II. §. 19. Num locus Geneseos cap. 7. v. 21.—23. quem pro hujus suae assertionis probatione citat, quia omnia, quae spirant in terra, et ipsa etiam volucria diluvio perdita, et exstincta sint, huc quo valere vult, aliquam vim habeat, consideranti sponte sua patebit. Num aves non evolant supra altissimos montes, quindecim etiam cubitis altius? annon mansissent salvae, et incolumes in montibus, si mersi hi aquis non fuissent? et nulline etiam homines in montibus tunc habitarunt, aut in vicinia, ut confugere possent ad montes? Qui proinde non periissent diluvio.

perhibet, sed quale ipse esse voluerit. De ignibus autem istis subterraneis, quibus subterraneae aquae concitatae, sursumque expulsae sint, praeterquam quod sit pura putaque assertio, quam David Michaelis probare nescit; eo tamen hoc etiam recidit, quod jam superius observatum fuit, ut aquae, quae vi ignis erupissent, ubi frigefactae essent, eoque citius, quod in frigidas incidissent, quae erant in superficie telluris, statim iterum vi sui caloris amissa, recidere pondere suo debuissent, ipsumque etiam subterraneum ignem oppressissent.

Frustra ergo laboravit David Michaelis in causa aliqua reperienda naturali diluvii. Jahnius autem quod protulit, fulcire volens illud, quod a Michaelisio non bene fuit adstructum, pugnat cum Moysis narratione apertissime. Fuit videlicet hoc opus diluvii perfectum non viribus, quae rerum sunt naturales, quamvis aquae etiam naturales adsumptae ad hoc essent, uti profecto cetera etiam, quae in eo facta sunt, partesque illius erant, non acta sunt sola vi naturali. Nam quae sollertia Noemi, etiamsi filios suos, aut quoscunque alios in auxilium adhibuisset, suffecisset ad animalia omnia ex diversis mundi partibus undique colligenda, et comprehendenda, maxime in avibus? Fuitne Noemi, et septem praeterea hominum, qui in arca fuerunt, pabulum dare tot animantibus, et potum? Si vero libere permissa fuissent commeare, non minus mirum manebit, si escam, quae durare in annum deberet, non citius absumpserunt, non pedibus conculcarunt, excrementisque suis infecerunt, et corruperunt, ut brevi desineret usui esse, deinde ne fera, et carnivora invaderent, et discerperent animantia alia? Fuitne horum eorumdem octo tantum hominum arcam repurgare a fimo tam multorum animalium? qui si vero relictus est, quantam fieri in arca oportuit odoris intolerabilis foeditatem hominibus, et pecoribus exitialem? Et quamvis Deus ad hoc opus diluvii aquas assumpserit naturales; tamen

non eo minus hoc per prodigium factum diluvium est, quam illud fuerit prodigium, dum Christus quinque millia hominum quinque panibus Matth. 14. v. 21. et rursus hominum millia quatuor septem panibus refecit, explevitque: Matth. 15. v. 38. tametsi utroque in casu panes hi adhibiti a Christo ad reficiendam turbam illam utramque naturales essent. Jam quod vi factum est ea divina, quae extra causas est, quae sunt in rerum natura positae, cum vi solius divinae omnipotentiae actum sit, et quidquid Deus facit, nutu illius voluntatis fiat; ulterius indagare, ultra hominem, et quo se illi immittere, ne fas quidem est.

Etiam adversus diluvium, fuisse hoc reapse tam altum, ut altissimorum montium cacumina aqua superaverit quindecim cubitis, inde ducunt Neoterici argumentum, atque inter hos etiam Jahnius supra citato loco, quod hanc mensurare altitudinem nemo potuerit. Sunt vero jam alia quoque narrata Part. II. cap. 13. quae citra divinam revelationem nec Moyses, neque ullus alter hominum scire potuerit, et quale de creationis opere in principio Geneseos ipse etiam non diffitetur Jahnius *Introductionis suae Part. II. pag.* 121. Si ergo nec Noe, nec quispiam alter rescire hanc altitudinem potuit per experientiam; confitendum Christiano erit, qui in Scripturis sacris inspirationem agnoscit divinam; Moysem istud didicisse ex revelatione divina. Cum vero arca consederit in montibus Armeniae, qui sunt ex altissimis, inque ejus pariete extrinsecus Noe observare potuerit aquarum vestigium ejus temporis, quo arca innatabat aquis, donec harum fundum tangens constitisset; ex istius vestigii altitudine in arca, quam ipsis oculis percipiebat, et ex eo spatio insuper, quod requirebatur, ut arca posset in aqua nare, quod quantum circiter esse debeat, quisque rei navalis aliquam peritiam habens, videt, facile erat Noemo assequi spatium, quo aquae

eminuerunt supra verticem Armeniae montium. Nec Moysi vero etiam propositum fuit aliud, quam generaliter montium, qui sunt in orbe terraqueo ceteris altiores mentionem facere, ut ita, quanta aquarum fuerit altitudo in diluvio, percipi posset: nec certe voluit determinate cujusdam montis statum sub aquis in diluvio, quamque profunde sub his haeserit, dicere, et ad apicem definire: quemadmodum neque semper Scriptura solet etiam alibi in mensuris, et numeris hoc facere.

V.

GENES. 11. v. 12.

Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale.

וְאַרְפַּכְשַׁד חַי חָמֵשׁ וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת-שָׁלַח

Etiam anterioris capitis 10. v. 24. est: *At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber*, et cum Latina nostra versione etiam hic concinit textus Hebraeus. At vero Septvaginta versio Graeca hoc utroque in loco inter Arphaxadum, et Sale interpositum in genealogia habet Cainanem. Hic ergo lectionis existit ambiguitas: quam non esset tantus labor tollere, Graecae versionis lectionem secundum Hebraeum fontem corrigendo, et eo magis, dum huic consentit versio etiam Latina. Illud autem auget difficultatem, quod Graecae

versionis lectionem tueatur, huicque suffragetur Lucas cap. 3. v. 36. perinde habens interpositum Cainanem inter Arphaxadum, et Sale in genealogia Christi, quam ab Josepho, sponso Deiparae, sursum usque ad Adamum texit. Nam si Lucas revera Cainanem scripsit, cum error in scribendo ei tribui non possit, consequens erit, lectionem quoque versionis Graecae Septvaginta debere esse rectam, et vitio affectum textum Hebraeum. In quem vero nulla cadit erroris suspicio, dum omnes manuscripti, et typis editi codices mire concinunt, huncque locum sic legerit in textu Hebraeo S. Hieronymus versionem faciens Latinam. Quae res eo permovit plures ex Interpretibus, ut dicerent, Cainanem a Moyse esse praetermissum, quemadmodum Matthaeus quoque cap. 1. v. 8. inter Joram, et Oziam in genealogia Christi plane tres transilierit, Ochoziam videlicet, Joam, et Amasiam, quos ad genealogiam pertinere constat ex 2. Paral. c. 21. et subseqq. Hoc autem modo sequeretur a Cainane filio Arphaxadi genitum esse Sale, dum Arphaxad annos natus esset quinque, et triginta: atque ita Arphaxado ex filio Cainane jam trigesimo quinto aetatis anno Sale nepos natus fuisset, contra morem illius temporis matrimonium ineundi, qui se exhibet in hac tota genealogia, in qua is, V. 24. cui ex omnibus minimum fuit aetatis, tamen anno tantum nono, et vicesimo aetatis coepit generare Nachor.

Est vero et fontis Hebraei recta lectio, nec Cainan est praetermissus a Moyse: sed mendosa est lectio et in versione Septvaginta, et in Lucae Evangelio. Primum inde apparet, quod Patres, et scriptores primorum Ecclesiae seculorum, iique Graeci, et versione Septvaginta utentes, Cainanem in hac interpositum hoc loco inter Arphaxadum, et Sale non legerint. Primus ex his est Theophilus Antiochenus, qui in lib. 3. ad Autolycum hosce patriarchas recensens, in hac recensione tamen

Cainanem non habet, expresse dicens, Sale esse natum ex Arphaxado. Eoque minus dubitare licet, usum esse versione Septvaginta: siquidem eam etiam, quae in horum versione est, annos patriarcharum numerandi rationem sequatur. Alter est Julius Africanus apud Eusebium in Chronico eodem modo recensens hanc genealogiam, quo factum est a Theophilo. Tertius est S. Epiphanius in libro de Pond. et Mens. qui ab Adamo usque ad Jacobum numerat duas, et viginti personas. Tot vero sunt excluso Cainane, nec ad hunc numerum assumpto, qui secus unitate major esset. Idemque haeresi 55. diserte habet, Sale prognatum esse ex Arphaxado. Quartus est S. Hieronymus: cujus cum sit in Quaestionibus Hebraicis adnotare, si quae diversitas lectionis sit inter textum Hebraeum, et versionem Sept. non tantum nihil ejusmodi notaverit, sed etiam ipse in his iterum Sale ex Arphaxado genitum posuerit. Quintus denique est Eusebius in Chronico, in quo cum hanc genealogiam, annosque horum patriarcharum triplici ratione proposuisset, juxta textum primo Hebraeum, deinde juxta codicem Samaritanum, ac demum juxta Interpretes Septvag. nullus tamen Cainan etiam apud hunc comparet. Etiam in ipsa versione Septv. 1. Paral. 1. v. 18. est: *Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber* sine Cainane. Quem ergo hoc loco versio Septv. non habet, iste etiam assutus non recte est eidem versioni in Genesi. Ipsa vero etiam res haec, quomodo acciderit, et Cainanis intrudendi imprudenti critico, vel librario occasionem dederit, potest adverti ex Geneseos loco versionis Septv. ubi Cainan inter Arphaxadum, et Sale interpositus est. Nam Cainani, et Sale, dum dicitur, quo anno aetatis prolem susceperint, et quos annos adhuc postea vixerint, iidem numero anni tribuuntur, manifesto indicio librarium Saleum cum suis annis scripsisse bis, et quod de hoc erat semel, repetiisse: alterum vero quempiam imperitum, pro Sale

ubi hujus nomen erat priore loco, cum observasset errorem, Cainanem posuisse praepostere. Cainanem autem sumpsisse videtur, et transtulisse huc ex genealogia Adami usque ad Noe, in qua Genes. 5. v. 9. Cainan est, sed genitus patre Enos.

Sed neque in genealogia apud Lucam est Cainan hic aliter, quam sit in Versione Septv. per ejus additionem, quod cuidam praepostere diligenti, sed imperito videbatur excidisse, cum hoc in versione Septv. legisset jam mendose scriptum. Nam hunc Cainanem non fuisse semper in genealogia apud Lucam, sed irrepsisse tantum postea, advertitur ex S. Irenaeo *libr.* 3. *cont. haer.* *c.* 33. Vbi is dicit in Christi genealogia personas recenseri duas, et septvaginta. Quem vero numerum dant personae omisso Cainane, essentque una plures, si iste quoque numeraretur. Idem quoque confirmatur ex vetustissimo Ms. Lucae Evangelio olim ex Graecia allato, quod ex Lugdunensi S. Irenaei coenobio, vicissitudine illorum temporum sublatum, cum ad Theodorum Bezam pervenisset, donatum ab hoc academiae Cantabrigiensi in Anglia est. Nam in isto quoque veteri manuscripto deest nomen Cainanis. Haec itaque argumento sunt, Cainanis nomen nec in Lucae Evangelio locum accepisse ab ipso Luca, et eo magis, quando perspicuum fit, quae causa versionis Septv. jam affectae hoc mendo, movere quempiam potuerit ad inserendum hoc nomen Cainanis etiam Lucae Evangelio. In hoc exemplo potest apparere, quomodo dubia lectio in Scriptura dijudicanda, et ea, quae recta est, asserenda sit. Etiam in subsequente textu, qui tractabitur, erit locus huic exercitio.

VI.

GENES. 49. v. 10.

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: et ipse erit exspectatio gentium.

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא
שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃

Vox Hebraica *Schilo*, quae hoc loco est, ubi S. Hieronymus in Latina nostra versione posuit: *Qui mittendus est*, descendit ex *Schil*, a) quae vox significat secundas, vel secundinas, membranam eam, quae ex feminae utero prodit post partum editum. In ea suffixum literae *He*, est in locum literae *Vav*, quemadmodum bis sic est versu ejusdem capitis subsequente. Schil autem nomine ipse etiam partus intelligitur. Quomodo hanc vocem sumpsit, et reddidit Chaldaice non tantum Jonathan paraphrastes: *Donec veniat rex Messias, parvus filius ejus*, sed ipsi etiam Judaeorum Rabbini. Aben Esra hoc Schilo idem docet esse, quod *filius ejus*. b) Bechai pariter in commentario in hunc locum, idem *Schil* pro filio sumpsit.

---

a) שִׁיל b) בְּנוֹ

Hoc autem, donec veniat *Schilo* in versione Septv. juxta manuscriptum, tam Vaticanum, quam Alexandrinum est: ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *Donec veniant, quae reposita sunt ei:* in aliis autem codicibus, et quemadmodum occurrit hic allegatus locus apud Patres, est sic: ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται: *Donec ille venerit, cui repositum est*, et *Quasi dicat*, sunt verba S. Chrysostomi hom. 67. ad hunc locum, *ille, cui praeparatum est regnum.* Eadem ratione hac altera et Aquila, et Symmachus hunc locum vertit, nec non in Syriaca versione ea, quae *Simplex* vocatur, et in Arabica, facta per Saadiam seculo Ecclesiae decimo, sic facta versio est, eumdem sensum exprimens, quem habet lectio altera versionis Sept. S. Justinus quoque in Dial. cum Tryphone pro hac altera lectione magis est, quamque censuit venisse ab Interpretibus Septvaginta.

Vnde vero istud Hebraicum *Schilo* sic verti a Graecis, aliisque interpretibus potuit? Kennicottus manuscripta allegat quinque, et viginti, De Rossi autem tria, et decem partim seculi duodecimi, partim decimi tertii, et quarti, et nonnulla seculi decimi quinti, quae pro *Schilo* habeant *Schello.* a) Hoc autem *Schello* aequivalet huic: *Qui*, vel *quod ei.* b) Atque ita in *Bereschith Rabba* apud Salomo Melech idem iste etiam locus explicatur: *Is, cujus regnum est*, c) itemque in *Tanchuma* vetusto commentario, apud Salomo Jarchi, et plures Rabbinos alios in eorum commentariis. Deinde isto, *Cujus*, vel *cui regnum*, etiam Messias exprimitur Ezechiel. 21. v. 27. ubi pariter de ablatione cidaris, et coronae principis Judaeorum sermo est, sed quae non prius futura esset, quam venisset, cujus est judicium, d) jus,

---

a) שלה b) אשר לו c) מי שמלוכה שלו

d) עד בא אשר לו המשפט

auctoritas, potestas, imperium: et qui character Messiae etiam est Psal. 71. v. 1. Isa. 42. v. 1. Jerem. 23. v. 5. Ex his itaque planum fit, unde ista versio venerit non tantum apud interpretes Graecos, verum etiam Syrum, et Arabem, non auferendum eo usque sceptrum de Juda, et ducem de femore ejus, donec is venisset, cui repositum est, nempe hoc ipsum sceptrum, atque haec ducis, *Mechokek* auctoritas. *Mechokek* autem eum significat, cui potestas est jura, et statuta condendi. Per Christum vero exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Isa. 2. v. 3. Proinde sequitur, lectionem *Schello* auctoritate antiquarum versionum, manuscriptorum fide, et documentis commentariorum veterum Judaicorum comprobatam, alteri *Schilo* anteponendam esse. Vnde vero S. Hieronymus pro *Schilo* sumpsit istud, *Qui mittendus est?* Clarum est, verbum illum pro verbo non reddidisse, sed sensum. Est vero Matth. 11. v. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* et Joan. 6. v. 14. *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Ista itaque circumscriptione ipse quoque Messiam expressit, de quo in hoc Jacobaeo vaticinio est sermo, et promissio: valdeque probabile est, in voce *Schilo* loco literae *He* legisse literam *Cheth*, cum qua ultima vocis hujus priores consonantes faciunt *Schalach* quod verbum est, significans *Misit.*

Jam supra fuit, Jonathanem paraphrasten apertissime hoc in loco, quod *Schello*, vel *Schilo* est, intellexisse Messiam. Idem sic Onkelos paraphrastes alter expressit: *Non auferetur habens principatum a domo Judae, neque scriba a filiis filiorum ejus usque in seculum, donec veniat Messias* a) *cujus est regnum, et ei obedient populi.* Perinde hoc est in Paraphrasi Jeroso-

---

a) עַד־דְיֵיתֵי מְשִׁיחָא

lymitana, deinde in libro Judaeorum antiquissimo Bereschith Rabba, apud Rabbinos Salamo, Kimchi, Bechai, et plures alios. Iidem etiam hoc cabalistice probant. Siquidem literae vocum *Jabo Schilo* eumdem dent numerum 358, quem dant literae etiam vocis Messiae *Maschiach*. Ergo Judaeine recognoscunt, hoc loco praedictum esse Messiam, atque hunc tunc venire debuisse, quando sceptrum ipsis ablatum est, quo jam carent tam longo tempore? Omnino tam vetustiores, quam recentiores Judaei multi, ut demonstratum est, Messiam hoc loco intellexerunt: non tamen idcirco etiam dant, hunc Messiam esse Jesum Nazarenum. Sed qui significatum hic esse Messiam confitentur, tamen Messiam adhuc exspectant. Ne autem isto Jacobi vaticinio viderentur superati, diversa iterum alia effugia quaerunt, ut tempus hoc, per Jacobum designatum, nondum advenisse possint praetendere: quin regnum quoque fingunt, quod ipsis etiam modo sit in Asia. Quidam ex ipsis se muniunt dicendo tempus non debere supputari adventus Messiae, et suis etiam hanc inquisitionem sub execratione, et maledicto interdicunt. a) Alii vero vel ideo negant intelligendum hoc loco esse Messiam, ne hinc sumi argumentum, et hoc intorqueri adversum ipsos possit, et per Schilo, ut modo usitatius in Bibliis legitur, vel locum tribus Ephraim Silo, vel Saulem, vel Davidem, vel Jeroboamum, reges, contendunt esse intelligendos inde, quod hi in Silo sint uncti reges: quamvis hic istos unctos esse, nequidem demonstrari possit. Quidam etiam istud Schilo ad Nabuchodonosorem significandum referunt. Quibus consentit David Michaelis in sua versione pro Schilo ponendo

---

a) מִפַּח רוּחָן שֶׁל מְחַשְּׁבֵי קִצִּן, *Maledictus spiritus eorum, qui tempus* (Messiae) *supputare volunt.* In Chumisch cum commentario Rascha, et Thalmud Sanhedrin pag. 97.

inundationem, quia ut *Bibliothec. Orient. Part. IX. pag.* 228. se declarat, *Sail* Arabibus torrentem significet. Omnes autem alii, et ipse Saadias, qui ex Hebraeo Arabicam versionem fecit, aliter, ut jam demonstratum est, hanc vocem verterunt. Döderlein idem Schilo lib. 2. part. 2. cap. 2. interpretatur sic: *Non prius arma deponet Juda, quam rebus pacatis*, inde quod *Schil* vel *Schilja* ex radice *Schala* a) *pacificus fuit*, descendat. Et sua sponte intelligi potest, interpretes ex epocha interpretationis novissimae, qui vaticinia de Christo negant, etiam hic debere in Schilo aliud sibi quaerere quam Messiam.

Facta demonstratione, per Schilo, ut modo lectio communior est in Bibliis, intelligi Messiam, et quae significatio eo magis certa, et indubitata Catholico interpreti esse debet, quod sic hoc intellectum sit, et acceptum a Patribus consensione unanimi, hincque omnes, qui adversus Judaeos scripserunt, argumentum duxerint ad probandum, Messiam jam advenisse; non tantum reliqua etiam plana fiunt in hoc loco omnia, sed etiam futilitatis convincuntur, quascunque ii, qui Messiam hic intelligere nolunt, interpretationes faciunt. Antecessit, Judam a fratribus suis laudatum iri, cujus manus futura sit in cervicibus inimicorum suorum, cujusque fortitudo assimilata est leoni. Quae fortitudo, ob quam laudatus, a fratribus suis est, et celebratus, intelligitur ea, quae illis etiam profuerit, et pro qua laudum praeconia Judae persolverent. Tribum Juda reliquarum principem fuisse etiam antequam ex hac tribu David dignitatem regiam adeptus esset, et qui principatus ex Rubeno primogenito translatus in Judam fuerit, est etiam 1. Paral. 5. v. 2. *Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos,*

---

a) שָׁלָה

de stirpe ejus principes germinati sunt. Atque hoc est, quod in hac benedictione etiam dictum ei ab Jacobo sit: *Adorabunt te filii patris tui.* Cum ergo iste inter fratres principatus hac ei benedictione collatus a patre esset, de eodem principatu idem Jacob, sermonem continuans, dixit futurum, ut sceptrum non prius quam Schilo venisset, ab eo auferatur, et dux de femore ejus, presse juxta Hebraeum: *Legislator ex inter pedes ejus.* Est modesta circumscriptio ejus, quod alias pari modestia *Femur* a) adpellari solet, Gen. 46. v. 26. Exod. 1. v. 5. poniturque pro eo, quod *Semen* b) dici solet, et quo posteri significantur. Onkelos et Interpres Jerosolymitanus hoc vertit: *De filiis ejus*, Jonathan, *De semine ejus.* Latine sceptrum, Hebraice est *Schebet*, quod generaliter virgam, baculum significat, etiam quo ictus infliguntur: et quae virga eadem ratione insigne regum, et principum facta est, tanquam instrumentum, quo exercent suam potestatem in eos, qui legibus non parent, et cujus causa iidem gladium etiam portant, vindices quippe malorum. Rom. 13. v. 4. Hinc vero, dum quod in anteriore hujus versiculi parte *Schebeth* est, dicitur postea *Mechokek*, isque hoc nomine intelligitur, qui auctoritate praeditus est jus condendi, et leges, sequitur, Schebeth quoque hoc loco non esse virgam tribulationis, quae etiam una interpretandi ratio Judaeis est, ad eludendum hoc vaticinium de tempore Christi adventus, quod jam fuisse debuerit, verum insigne regiae, et principalis auctoritatis, ac dignitatis.

Postquam ergo dictum est: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat Schilo,* id est Messias, clarum est, dici, Judaeos eo usque potituros rerum, et habituros proprium sceptrum,

---

a) יָרֵךְ b) זֶרַע

donec advenisset Messias. Hoc autem loco, istud *donec*, a) non nulli Rabbini in *Rabboth*, et in *Schebet Jehuda*, et secundum hos Döderlein lib. 2. P. 2. C. 2. sic interpretatur, ut hocce, *donec*, velint significationem habere continuationis, non terminationis, utque sensus sit, non ablatum iri sceptrum de Juda, et ducem de femore illius, dum venerit Schilo. Quod et *donec*, et Hebraicum *adh* etiam significationem continuationis habeant, non semper terminationis, verum est. Sed dum utroque modo adhibetur, nondum valet assertio, hoc loco istud significationem continuationis habere. Jam vero hanc Judaeis potestatem ablatum iri, utque desinant post Messiae adventum proprium regnum habere, est praedictum etiam Oseae 3. v. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari*, et Daniel. 9. v. 26. *Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Ergo non de continuatione, sed pro terminatione debet etiam hoc loco istud: *donec* accipi. Deinde si continuationem significaret, consequens esset, eam, quae Judaeis prius proprii regni auctoritas fuit, etiam perstitisse post adventum Christi, et manere nunc. Quod vero falsum esse, ipsis oculis cernimus. Nec minus vanum, et inane est, quod Judaei in suis Rabbinis hanc adhuc constituant, et locent sceptri, et legislatoris auctoritatem, ut sic venire nondum debuerit Messias. Nam haec potestas, quam Judas olim exercuit, quae sita erat in regendo populo, utente suis propriis legibus, atque jure, profecto non est Judaeorum Rabbinis, qui tantum in scholis, et synagogis magistros agunt, regimen vero politicum nullum, nec jus istius ullum habent.

---

a) עַד כִּי

Et ipse erit exspectatio gentium: Versionem Septvaginta: καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, hoc loco secutus est in versione Latina etiam S. Hieronymus. Nam Hebraicum a) *Obedientiam populorum* significat. Est de eodem Messia etiam: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* Psal. 2. v. 8. et: *Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.* Psal. 71. v. 11. Haec itaque populorum obedientia etiam in hoc intelligitur vaticinio Jacobi. Quae cum non cohaereat cum ulla interpretatione earum, quas affingi ab Judaeis, aut etiam ab aliis huic loco, supra demonstratum est, imo nequidem Davidi competat, quamquam multas sibi subjugaverit nationes: neque etiam de alio intelligi potest, quam de Christo.

Subiit vero regnum, quod regibus ex stirpe Juda fuit, casum post mortem jam Salomonis, quando Jeroboam decem tribuum factus rex est, Sedecia autem rege Juda ab Nabuchodonosore capto, et in captivitatem abducto, omnique populo Judaeorum nullus postea jam rex Judaeis e familia Davidis, et Judae sangvine fuit. Si vero prius sexcentis fere annis, quantum est spatium inter eversam ab Chaldaeis Jerosolymam, et Christi adventum in mundum, eversum Judae regnum est, quomodo non sceptrum Judae ablatum est, donec venisset Messias? si vero prius ablatum est, quo pacto veritas de non auferendo sceptro prius, quam venisset Messias, huic constabit Jacobi vaticinio? Haec res complures interpretes movit Christianos, (neque enim Judaeos alterutrum magis juvat) ut hoc Jacobaeum vaticinium de universa Hebraeorum gente, non de solo Juda, ejusque posteris accipiendum esse censerent. Est vero diserte

---

a) יִקְּהַת עַמִּים.

Gen. 49. v. 28. Jacobum singulis suis filiis benedixisse benedictionibus propriis. Ad Judam ergo solum haec directa benedictio fuit. Advertendum autem est, dum post Salomonem decem tribuum rex Jeroboam factus est, scissione hac imminutum tantum esse regnum regibus e stirpe Juda, non ablatum. Per captivitatem vero Babylonicam ingentem calamitatem subiit Judaeorum regnum: exstinctum tamen non est, quod postea iterum refloruit. Et quamvis Judaeis jam non fuerit rex, et princeps ex tribu Juda, postquam Machabaei, qui ex tribu Levi erant prognati, principatum obtinuerunt; tamen non minus Judaeis regnum, atque civitas suis legibus utens mansit, quam Romanorum steterit imperium, etiamsi per imperatores regeretur, qui originem ex alia natione duxerunt, et modo plura sint regna, quae propterea non desierunt, quod in his sceptrum gerant, qui ex alia natione sunt. Gentis namque proprium jus manet, atque hae civitatem propriam, ab aliisque distinctam constituunt, quamdiu suis propriis legibus, atque juribus fruuntur, adeo, ut Judaeis ne tum quidem adhuc sceptrum ablatum sit, quando Herodes Idumaeus rerum apud eos potiebatur: amiserunt autem istud sic, ut nihil ejus remaneret, quando, vastata per Romanos Jerosolyma deportati, atque dispersi per orbem universum sunt, nuspiam habentes quodpiam proprium regnum.

VII.

VII.

EXOD. 14. v. 16, 21.

Tu autem eleva virgam tuam, (sunt Dei verba ad Moysem) et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel per siccum. — — Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum, divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, et laeva.

וְאַתָּה הָרֵם אֶת־מַטְּךָ וּנְטֵה אֶת־יָדְךָ עַל־הַיָּם וּבְקָעֵהוּ
וְיָבֹאוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל בְּתוֹךְ הַיָּם בַּיַּבָּשָׁה — וַיֵּט מֹשֶׁה
אֶת־יָדוֹ עַל־הַיָּם וַיּוֹלֶךְ יְהוָה אֶת־הַיָּם בְּרוּחַ קָדִים עַזָּה
כָּל־הַלַּיְלָה וַיָּשֶׂם אֶת־הַיָּם לֶחָרָבָה וַיִּבָּקְעוּ הַמָּיִם׃
וַיָּבֹאוּ בְנֵי־יִשְׂרָאֵל בְּתוֹךְ הַיָּם בַּיַּבָּשָׁה וְהַמַּיִם לָהֶם
חוֹמָה מִימִינָם וּמִשְּׂמֹאלָם׃

Ergo, si hoc ita factum est, quemadmodum Scriptura refert, factum hoc naturaliter non est, sed vi ea divina, quae supra naturam prodigiosa est. Non alia causa fuit, cur Spinoza, Hobbesius, et Deistae omnes adversum hoc se maxime posuerint miraculum, quod tam splendidum, divinamque testificans revelationem cum esset, conati sint subvertere. Vt autem probarent, rem naturalibus viribus perfectam esse, quam Moyses de transitu Hebraeorum per mare Rubrum narrat, ex Artapano, et Josepho Flavio sibi argumentum fabricaverunt. Quorum prior apud Eusebium *Praepar. Evan. l.* 9. *c.* 18. 23, 27. dicat, a Moyse per mare Rubrum traductos Israelitas aestus marini arrepta occasione, idque sic se accepisse ab incolis urbis Mempheos in Aegypto. Alter vero *lib.* 2. *Ant. c.* 16. hunc eumdem Israelitarum transitum per mare Rubrum comparet cum transitu Alexandri, ejusque exercitus per mare Pamphyliae, non alia etiam ratione, quam occasione captata, qua mare, flante Aquilone, a litore depulsum ei transeundi dederit facultatem. Suum vero Artapanus a Memphitis acceptum testimonium alio testimonio Heliopolitanorum ipse suffert. A quibus perhibitum sit, Moysem divinitus admonitum aquam virga tetigisse, ac recedentibus illico fluctibus copias sicco tramite traduxisse, Aegyptios autem cum fugientium terga premere tentassent, partim ignibus, e caelo ruentibus, partim undis refluentibus oppressos, ad unum omnes interiisse. Josephus vero de hoc eodem transitu ita deinde scribit: *Mare*, Moyses, *percutit. Quo ictu repente scissum, et retrorsum se recipiens nudum solum Hebraeis ad fugam capessendam reliquit. Moyses autem videns adesse Deum, et mare suo solo cessisse, progreditur, hortatur Hebraeos, ut alacriter sequantur per viam, divinitus datam.* Non ergo hunc Hebraeorum transitum per mare Rubrum comparavit cum Macedonum transitu per

mare Pamphyliae, tanquam res inter se aequales; sed tantum, quo lectores alienigenas faceret ad credendum proniores, transitum Macedonum memoravit per mare: qui etsi non eodem modo factus esset, quo mare Rubrum transierunt Israelitae; tamen cum horum transitu saltem umbram aliquam convenientiae haberet.

Nemo vero ex Deistarum grege, majore confidentia, insurrexit adversum hoc prodigium auctore Fragmentorum Volfenbüttellianorum, sub quo nomine se produxit, occultato proprio suo nomine, a) tali, ut sibi persvasit, argumentorum adparatu, et robore, quibus resisti non possit. Ducit calculum, quantum Israelitarum agmen fuerit, et cum millia fere sexcenta a Moyse memorentur Exod. 12. v. 38. peditum virorum, ad horum singulos quatuor adhuc adjunctis, ut numerus prodeat universae multitudinis omnis aetatis, et sexus, ponit totum Israelitarum agmen constitisse ex hominum ter decies centum millibus. His addit sex millia curruum, trecenta millia boum, sexcenta millia ovium, praeter alia impedimenta. In Pharaonis vero exercitu; quem cum sexcentis electis, ceterisque omnibus curribus Aegypti Exod. 14. v. 7. insecutum esse Israelitas Moyses dicit, et quamvis ex eo numero, quem Josephus Flavius scribit Pharaoni fuisse, equitum quingenta, et peditum ducenta millia, tantum dimidium acciperetur; tamen ponit fuisse ducenta quinquaginta millia equitum, peditum millia centum. Itaque non minus milliaribus Germanicis duobus opus fuisse, quamcumque arcte inter se

---

a) Gotthold Ephraim Lessing Consiliarius, et bibliothecarius Wolfenbüttelensis in Saxonia anno 1781. est horum Fragmentorum proprio nomine auctor ex Protestantibus factus Deista: qui revelationem divinam omnem negavit adeo, ut ne possibilem quidem assereret esse in suis Opusculis, atque ipsum Christum etiam dixerit, fuisse Deistam, et Deismum docuisse.

constitissent, ubi Israelitarum agmen ad litus maris, antequam transiret, stetisset. De fundo maris Rubri affert testes Diodorum Siculum, Theophrastum, et Strabonem, qui doceant, hunc refertissimum esse alga marina, plenumque acutissimis coraliis, et impeditum saxis, atque rupibus. Jam potuissene tantam multitudinem spatio unius noctis transire mare cum tot impedimentis pecorum, curruum, eorumque, qui ex Israelitis, ob aetatem, vel valetudinem facere iter celeriter non poterant, idque per fundum maris tam ad iter impeditum, et in nocturnis tenebris? dispositisque ad unum ordinem, et seriem decem hominibus in agmine dum transirent, et inter singulos ordines tantum passus tres interponendo, et unde trecenta millia ordinum, nongenta vero millia passuum prodeant, quaeque faciant milliaria centum octoginta Germanica. negat, etiamsi continenter iter fecissent, et singulis horis milliare Germanicum, quod est quatuor mille passuum, percurrissent, fieri potuisse, ut ante horas ducentas viginti quinque, atque adeo ante dies novem, et horas novem, ultimi in agmine eo pervenirent, unde ab agmine profectionis factum initium est. Nec minus futuram repugnantiam, etiamsi agmen constitisset ante transitum suum ad litus maris, non extensum retrorsum, sed tensum in latum per litus. Nam hoc casu, quanto opus fuisset tempore, inquit, ut tantae multitudini, ad tot milliaria extensae Moyses, vel signum, et indicium profectionis dare posset, nocturno praesertim tempore? et ubi tempus fuisset etiam Aegyptiis sequendi sic Israelitas, ut eadem adhuc nocte mare apertum ingressi ad unum omnes fluctibus absorberentur? Itaque Moysis narrationem de hoc Israelitarum per mare Rubrum transitu esse ejusmodi, quae secum ipsa pugnet, et unde evidens fiat, aliud non posse esse, quam figmentum.

Auctor iste suorum Fragmentorum partim conditiones adposuit, et adjuncta Moysis narrationi, quae suo tantum texuit ingenio, atque arbitratu; partim occultavit, quae erant dicenda, ne res clare videri posset. Ex his primo sunt, quae fuisse ponit ter decies centena millia Israelitarum. Deinde nec certum est Josephi testimonium de numero militum in exercitu Pharaonis: et quem nisi altius exaggeratum ipse putasset esse, non hunc reducere ipse voluisset. Et profecto, numerum quem Moyses non expressit, unde scire Josephus potuit? Si verum est; quod de fundo maris Rubri scribit Diodorus Siculus, et ceteri, quos Auctor allegavit, attamen in indagatione, quae facta est de industria sumptibus regis Daniae nostra aetate per Niebuhrum, sociosque ei additos, quamque postea typis edidit, nulla alga, nullum coralium observatum est ad eam partem maris Rubri, quae est ad locum *Sues*, et ubi ora istius Arabici sinus est, nisi inde multo remotius. Ibi autem Israelitas nemo dubitat mare hoc transiisse non procul ab loco *Sues*: quo loco arenam in fundo maris esse idem Niebuhr, aliique testantur. Quod si agmen Israelitarum ita ordinatum fuisset, ut tantum deni incederent in singulis ordinibus, utique longius fuisset, quam ut iter absolvi potuisset nocte una. Sed iste ordo est tantum excogitatus ab ipso Fragmentorum auctore. Dum ergo tanta Israelitarum multitudo traducenda esset, etiam sequitur, ita late apertum esse mare his ad transeundum, ut non deni, sed milleni, et plures possent in eodem ordine incedere. Curruum vero, et plaustrorum mentio a Moyse fit nulla, et ista rursus peperit tantum Fragmentorum auctor suo ingenio. Et eo minus ad pabulum vehendum pro gregibus, ut idem vult auctor, opus fuit his curribus, quod nisi pascua Hebraeis in Arabia suppetivissent, juxta Fragmentorum auctorem pro quadraginta annis, quibus peregrinabantur per idem Arabiae desertum,

Israelitae pabulum pro gregibus tot millium, quot ipse etiam posuit, vehere secum ex Aegypto debuissent, aut postea identidem aliunde comparare. Nec aetas, aut valetudo aliquod impedimentum attulit itineri. Nam proles suas, quae ad gradiendum firmae nondum erant, portarunt parentes, infirmus autem testante Scriptura, nullus erat. Psal. 104. v. 37. Nec tenebrae erant, quae officerent, et morarentur iter. Nam, quamvis columna, quae interdiu nubem faceret, noctu arderet, et lumen castris praeberet, tunc se post agmen universum recepisset; tamen tenebras tantum Aegyptiis offuderat, ne hi ad Israelitas propius possent accedere, noctem vero Israelitis illuminavit. Exod. 14. v. 20. Simul vero atque patefactum est mare, atque Moyses istud ingressus est, signumque se sequendi dedit, atque pars agminis, quae vicina ei erat, movere se coepit; in ictu oculi hoc observari potuit ab iis, qui erant in fronte agminis: et qui cum se se omnes movissent, iterumque alii post eorum terga idem fecissent; subito tota populi multitudo posita ad eumdem motum est.

Et Fragmentorum iste auctor, et ceteri Deistae, non dubitant futurum, ut prodigium in hoc Israelitarum transitu per mare Rubrum sit, si res, quemadmodum eam Moyses refert, agnoscatur esse vere acta. Idcirco omnem conatum adhibent ad narrationis istius veritatem subvertendam. Interpretes Scripturae, et istius interpretationis fabricatores illuminatae Germaniae prae se ferunt libros Scripturae canonicos, omni fide, et veneratione dignos. In his ergo eorum locis, ubi manifeste apparet, historicam esse narrationem, nec facile est, in locum hujus parabolam, aut aliud quidpiam substituere, si res tamen non sit ad eorum palatum, necessario aliud consilium capere debent, - ut quamvis admittant narrationis veritatem; tamen idem assequantur sua Scripturae interpretatione, quod Deistis per ejus negationem propositum

est. Hocce modo David Michaelis, quamvis Moysis hanc narrationem de Israelitarum hoc transitu per mare Rubrum non tantum veram habeat, sed etiam Auctorem Fragmentorum, de quo antecessit sermo, ipse etiam studuerit refutare, et calculum, quem is duxit, ostenderit non stare in suis Adnotationibus ad hunc Exodi locum; tamen in eo totus est, ut probet hunc transitum nonnisi iis, quae in rerum natura sunt, viribus accidisse, nec aliquod in eo miraculum fuisse. Jahnius quid sentiret de hoc transitu, et pro miraculo, necne haberet, in Introductione sua in Libros V. F. non se explicuit, quamvis hoc fecerit in libro Josuae ad Israelitarum transitum per fluvium Jordanem. In Archaeologia vero sua (Germ.) Part. II. tom. I. pag. 29. remittit lectores suos ad Davidem Michaelis rei istius expendendae causa, et Enchiridii sui §. 28. hoc de isto transitu: *Erat aqua, quasi murus a dextra eorum, et laeva*, eo modo intelligendum esse docet, quo sumpsit David Michaelis ad evertendum miraculum. Id quod prolatum jam etiam est supra Regul. Interpret. Cap. 2. §. 15. Multorum adhuc aures non ferunt, si audiant dici de hoc transitu, non fuisse miraculum. Coram istis merces exponendae palam non sunt, ne earum importationi, et venditioni fortasse obicem ponant.

Quaenam ergo tam subtilis Davidis Michaelis interpretatio est, qua probat, hunc transitum non fuisse prodigiosum? Primo videndum nobis est, quid Scriptura de hoc transitu habeat. Castra habebant Israelitae sua ad maris Rubri illud latus, quod rescipit ad Aegyptum. Jam Pharao instabat cum exercitu. In omnium summa trepidatione, et Moysis ad Deum tacita, sed intentissima precatione, jubet illum Deus cessare a clamore, et mandatum proficiscendi Israelitis dare: ac deinde, *Tu autem*, inquit, *eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii*

Israel in medio mari per siccum. — — Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum, divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus a dextris eorum, et laeva. Itaque ad elevationem manus Moysis, et virgae intelligitur mare esse scissum in partes duas, quam scissionis, et fissionis significationem propriam verbum etiam *Baka* a) Hebraicum habet, fluctibusque in utramque partem sublatis, factum esse spatium, per quod Israelitae graderentur in medio maris, id est, medii inter aquas, quae depulsae ad utrumque latus incedentium in mari essent, et hoc deinde esse, quod dum Israelitae pergerent per medium sicci maris, V. 22. et iterum infra V. 29. aquae eis dicantur pro muro fuisse ab eorum dextris, et sinistris, in ea comparatione cum muro, quod instar murorum, qui solent in altum educi, aquae, quae erant expulsae ex spatio, quod Israelitis ad incedendum datum fuit, se se adcumulassent, et composuissent supra ceteras maris aquas positas utrinque, firmiterque constitissent. Id, quod etiam capitis sequentis V. 8. est: *In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae, stetit unda fluens, congregatae sunt abyssi in medio mari*: iterumque Psal. 77. v. 13. *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre*: quod in Hebraeo adhuc significantius est: *Rupit mare, et transire fecit eos, et stare fecit aquas veluti acervum:* b) etiam Habacuc cap. 3. v. 10. de eodem hoc transitu est: *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit:* c) atque sic rem retulit etiam

a) בָּקַע b) בָּקַע יָם וַיַּעֲבִירֵם וַיַּצֶּב־מַיִם כְּמוֹ־נֵד

c) נָתַן תְּהוֹם קוֹלוֹ רוֹם יָדֵיהוּ נָשָׂא

Achior Ammonitarum princeps Holoferni. *Fugientibus his*, inquit, *Deus caeli mare aperuit, ita ut hinc inde aquae, quasi murus, solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.* Judith. 5. v. 18. Qui profecto rem alienigena ita retulit, quemadmodum decantata, et celebrata ad ipsum, et ad alios exteros etiam pervenerat. Ventus vehemens, et urens tota nocte, quo Deus abstulit mare, est presse juxta Hebraeum: *Per spiritum* (ventum) *Orientalem vehementem*, a) tota nocte flantem. Hic ergo Israelitis mare ingredientibus, et per hoc iter facientibus ex adverso flavit: cumque Scriptura testetur, Israelitas ivisse per siccum, non haec exsiccatio facta est, quamdiu ventus iste flavit, siquidem primo diluculo, ut est Exod. 14. v. 27. quae eadem est vigilia noctis tertia, jam reductae sint aquae, et priusquam factum esset hoc, Israelitae evaserint in partem maris adversam, Aegyptii vero, qui sequebantur Israelitas, et adhuc intra mare erant, fluctibus sepulti sunt. Est illud quoque advertendum, cum haec vigilia noctis tertia jam advenisset, nondum etiam reductis aquis, Dominum respexisse super castra Aegyptiorum per columnam ignis, et nubis, et interfecisse illorum exercitum, quique subversis rotis curruum, delati sint in profundum. Tumque dixisse Aegyptios: *Fugiamus Israelem. Dominus enim pugnat pro eis contra nos:* et nonnisi tunc jubente Deo, Moysem iterum extendisse virgam super mare, ut aquae reverterentur in Aegyptios super currus, et equites eorum, quaeque aquae his fugientibus in eam videlicet partem, unde venerant, occurrerint, et ut sonantius est in Hebraeo: *Aegyptii fugerunt in occursum illius*, b) videlicet maris, quod erat Moyse, virgam elevante reversum, et

---

a) בְּרוּחַ קָדִים עַזָּה b) וּמִצְרַיִם נָסִים לִקְרָאתוֹ

redditum pristino suo loco. Exod. 24—28. Ille Domini respectus in Aegyptios per columnam ignis, et nubis, in qua videlicet specie se Deus praesentem Israelitis exhibuerat, intelligitur fulminea tempestas ex Psalm. 76. 17—21. Vi itaque partim istius tempestatis, partim maris deinde iterum coeuntis salvis Israelitis, Aegyptii consumpti sunt omnes, ne uno quidem superstite manente.

Nunc jam suam David Michaelis producat interpretationem, et ostendat, quomodo hoc phaenomenon fuerit pure naturale. Mare Rubrum, qui sinus etiam Arabicus, et Heroopolitanus solet vocari, venit ab Oriente ex mari Indico, et tenditur per Arabiam millia passuum 1200 et amplius Septemtrionem versus cum aliqua declinatione Occidentem versus. Propter conjunctionem cum mari magno Indico habet etiam maris aestum, quo fit, ut per vices, sexque horarum spatio, mare jam crescat, jam decrescat. Dum ergo Deus Moysem jussisset elevare manum, virgamque extendere supra mare, tunc David Michaelis ponit tempus, quo illius puncto coeperit fieri maris refluxus per aestum, simulque eodem temporis momento ortum esse validissimum ventum, quem ipsa etiam Scriptura memoret, ab ea parte, quae est inter Boream, et Occidentem, cujus vi, et impulsu ingenti accedente, mare, jam alioquin recedens per aestum, actum ita, et pulsum in contrariam eidem vento partem sit, ad ejus videlicet inferiorem partem, ut solum maris nudatum, atque Israelitis facilis transitus in adversam partem datus sit. Dicit, hoc nec per solum maris recessum ex aestu, nec vi solius venti effectum dari potuisse, sed ex utraque causa conjunctim: ventum vero hunc ex naturali aliqua causa esse coortum, quem oriturum cum praevidisset Deus, ideo disposuisse, ut et ibi ad mare haberent castra sua Hebraei, et eodem momento, quo oriturus erat hic ventus, Moysem juberet virgam contra mare extendere. Tempus, quo ventus iste flavit, suffe-

cisse Israelitis ad mare transeundum: qui vero Aegyptiis, cum secuti essent Israelitas eadem via per nudatum aquis mare, adhuc positis in ejus medio, se se repente verterit, cumque ita aquae statim cum impetu refluxissent, his oppressos esse Aegyptios.

Annon bella haec est interpretatio? Sed boni interpretis erat, rem accipere, prout est in Scriptura; non huic substituere figmenta sui ingenii. Primo, unde scit, Scriptura nihil de hoc habente, tempus tunc fuisse refluxus maris ab aestu? secundo Scriptura habet ventum, fuisse ab Oriente flantem, *Ruach Kadhim.* a) Quo jure ergo, et qua licentia interpretandi hunc vertere potuit, *Ex adverso flantem vehementem ventum* (durch einen entgegen wehenden heftigen Wind) ponereque hunc; atque transferre ex plaga Orientali ad plagam inter boream, et occidentem? Clarum est ex Scriptura, hunc ventum non flavisse. Ab hoc vento accedente ad refluxum maris, qui tum fuerit ex aestu, repetit depulsionem aquarum ex mari, ut transeundi per hoc facultas fuerit Israelitis. Ergo hoc vento, misso in ventum, et dissipato Michaelis de hoc vento figmento, nulla etiam sic patefactio maris facta est, et transeundi per hoc facultas data Israelitis. Opusne est adhuc pluribus? Cum enim hunc ventum sibi posuerit pro fundamento suae istius interpretationis, hoc sublato, atque everso, necesse est etiam concidere totam, quam supra hoc exstruxit interpretationem. Non eo minus tamen pergamus ulterius. Scriptura docet ad elevationem manus in altum Moysis mare esse fissum, et divisum bifariam, seque accumulasse, et quasi murum fecisse utrinque: David vero Michaelis ponit, hoc esse vento illo boreali depulsum meridiem versus. Hanc ergo rursus ipse tantum depul-

---

a) רוּחַ קָדִים

sionem suo parturivit ingenio: de qua non tantum nihil in Scriptura est, sed cui haec etiam apertissime contradicit. Denique, quae cognitio rerum naturalium in mundo docuit illum, etiam maris solum denudari potuisse vi sola naturali aestus marini, et venti quantumcunque vehementis? Dum vento, quando iste vehemens, et procellosus est, fluctus in altum coguntur in mari tam alti, ut caelum videantur contingere, Psal. 106. v. 26. haec tanta vis venti, quae sustulit in altum fluctus, potestne has etiam sic in ista altitudine tenere, ut non cito aquae in molem compulsae, pondere suo resistentes recidant? Nocte ingruente Israelitae ingressi sunt mare, siquidem Pharaonis exercitum suis oculis dum vidissent, quod adhuc in luce fieri oportuit, atque metu consternati essent, Moyses jussus a Deo sit manum in altum tollere ad dividendum mare, utque proficiscerentur, mandatum a Deo sit. Sub initium autem vigiliae ejus noctis tertiae, quae incipiebat cum noctis parte tertia, tantum aquarum factus refluxus est: et sua sponte intelligi potest, ut tantum agmen Israelitarum, quod ipse Michaelis etiam ponit fuisse bis decies centenorum millium hominum, spatium temporis sufficiens haberet ad mare transeundum, deinde ut exercitus quoque Aegyptiorum post hos intrare mare, et eousque in eo progredi posset, ut nullus ei effugio locus deinde maneret, tempus debuisse esse multarum horarum, et totius fere illius noctis. Tanto ergo tempore fluctus compulsi, et congesti in contrariam partem, in tantumque pondus crescentes, quantum fieri debuisset tot horis perdurante eodem vento, non se prius ex vento excussissent, atque vi suae gravitatis refluxissent? Quid? si tantus iste ventus, tamque furens, et procellosus fuit, ut mare integrum loco suo depelleret, isteque ex latere sinistro Israelitis venisset, iter per maris solum facientibus, annon vento hoc etiam isti abrepti fuissent? iterne ergo in tali vento facere potuissent, et nocturno tempore,

perque vada in mari, quae per suum ventum ipse etiam Michaelis in declivibus locis reliquit? Haec ipsa non potuissent fieri secus, quam per prodigium. Annon venti, quos nobis etiam licuit saepius experiri, invertunt onustos etiam, et graves currus, prosternuntque una cum jumentis, rapiunt tecta domorum, crassas quoque arbores a radice frangunt, et evellunt? Falsa prodigia comminiscitur, ut quod verum fuit prodigium in hoc transitu Israelitarum per mare Rubrum, sufferat. Risu, non refutatione aliqua haec erat digna Michaelis interpretatio, nisi essent, quibus tamen sapientissima habeatur, et suos lectores, atque alumnos Jahnius hanc discendi gratia ad illum remisisset.

VIII.

NVMER. 22. v. 28.

Aperuitque Dominus os asinae, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me, ecce jam tertio?

וַיִּפְתַּח יְהוָה אֶת פִּי הָאָתוֹן וַתֹּאמֶר לְבִלְעָם מֶה־עָשִׂיתִי
לְךָ כִּי הִכִּיתַנִי זֶה שָׁלֹשׁ רְגָלִים׃

Hoc novis Interpretibus nostrae aetatis solet esse quasi clarissimum exemplum, fabulari Moysem in suo Pentateucho, qui in sua narratione inducat sermocinantem

asinam. Non tamen omnibus. Nam Davidi Michaelis *in adnotat. ad hunc locum*, et juxta hunc Jahnio *in Introd. in Lib. V. F. (Germ.) Part. II.* §. 19. est hoc Balaami somnium. Si res quaepiam sit acta vere, quid intersit, si non fabula, attamen somnium ex hac fiat, perspicuum potest esse cuique. Hic Balaam habitavit in Pethor, loco Mesopotamiae, cujus asina refertur locuta esse. Reges duos, Sehon, et Og jam debellarunt Israelitae, horumque ditiones, in ulteriore parte Jordanis, in suam potestatem redegerunt. Ab his sibi etiam Balac rex Moabitarum timuit, etsi nihil ei timendum fuerit, eo quod Deus caverit, ne Moabitas, et Ammonitas Hebraei tangerent, quod essent posteri Lot. Balac, cui se conjunxerat etiam Ammonitarum rex, misit quosdam e suis ad Balaamum, huncque ad se invitavit, ut malediceret Israelitis, sic sperans futurum, ut si signa contulisset cum Israelitis, istos superaret, et profligaret. Cum nuncii ad Balaamum venissent, is Deum consuluit, irene ad maledicendum Israelitis deberet. Deus huic apparuit noctu, et prohibuit, ne iret. Cum ergo non ivisset, denuo alios nuncios misit Balac, et rogavit, ut veniret, malediceretque, amplissima ei munera pollicitus. Balaam iterum, num ire deberet, cum consuluisset Deum, is ei respondit: *Si vocare te venerunt homines isti, surge, et vade cum eis, ita dumtaxat, ut quod tibi praecepero, facias:* Hebr. *Et tamen verbum, quod loquar ad te, illud facies.* a) Num. 22. v. 20. Cumque deinde in viam se dedisset, dicitur iratus esse Deus. Nempe, in Dei verbis ad illum: *Surge, et vade*, sola intelligitur permissio eundi, et faciendi quod vellet, quod tamen futurum esset contra Dei voluntatem. Quare etiam Angelus deinde cum ei in via apparuisset, dixit:

---

a) וְאַךְ אֶת־הַדָּבָר אֲשֶׁר־אֲדַבֵּר אֵלֶיךָ אֹתוֹ תַעֲשֶׂה.

Perversa est via tua, mihique contraria. V. 32. Postquam jam cognoverat Dei voluntatem, et ne iret, prohibitum ei erat, et tamen adhuc tentasset exquirere divinam voluntatem; ostendit contra eam, quam jam acceperat a Deo prohibitionem, sibi tamen animum esse, et voluntatem eundi. Deus itaque suae illum reliquit voluntati.

Dum autem asina vectus iret, Angelus se ei obtulit in via ex adverso stans, evaginatum habens in manu gladium. Nec Balaamo, sed tantum asinae iste fuit conspicuus. Asina ex via deflexit: quam cum Balaam idcirco verberasset, ad viamque voluisset reducere; Angelus se collocavit in angustiis duarum maceriarum, quibus vineae cingebantur, et qua transeundum Balaamo erat. At vero asina iterum ex via decessit, seque apprimendo maceriae pedem etiam Balaami attrivit. Eo vero magis iratus asinam verberavit Balaam iterum, et vehementius. Adhuc ad viae angustiorem locum se posuit Angelus, ubi asina in neutram partem deflectere a via posset. Hic vero asina, non ausa progredi, in terram concidit. Quam cum eo magis caederet Balaam, fusteque ejus latera tunderet, *Aperuit Dominus os asinae, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me, ecce jam tertio? Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi,* a) in quo verbo significatio est factae injuriae, et laesionis cum ejus, qui laesus est, contumelia, et contemptu. *Vtinam haberem gladium, ut te percuterem. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consvevisti usque in praesentem diem? Dic, quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait: nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.*

---

a) הִיתְעַלַּלְתְּ בִּי

Cui Angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria: et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret.

Venditant novi Interpretes suas interpretationes, quasi factas adcuratissime ad amussim Scripturae intelligendae, ut nec plus, nec minus verbis illius tribuatur, quam quod significationis habent. Est vero diserte: *Dominus aperuit os asinae, et locuta est.* Quod si hoc somniatum a Balaamo tantummodo esset, dici non posset, Deum aperuisse os asinae, atque locutam hanc esse. Nam factum istud non esset. Dat, et confitetur ipse etiam David Michaelis, fieri potuisse divina virtute, ut asina loqueretur sono vocis humanae, quem Deus formaverit in ore asinae, vel in aere. Quod ergo proprie intelligi potest, absque ulla in contrarium causa, si tamen aliter accipiatur, estne hoc manere in regula intelligendi? Nam ubi nulla causa est rem, quae dicitur, non proprie sumendi, si licuerit sumere improprie; nihil uspiam manere debebit in Scriptura, quod non pro cujuscunque voluntate significationem possit accipere impropriam. Istane vero erit recta, atque sana Scripturae intelligendae ratio? Jahnius inde vult probare, actum hoc esse in Balaami somnio, quia etiam V. 8. et 19. de somnio Balaami facta mentio sit, et iterum V. 31—35. visio subsequatur. Illis autem versiculis octavo, et decimo nono tantum est, Balaamum responsum a Deo exspectasse, atque hoc accepisse, dum quaesivisset, num ire ad Balacum deberet. An per somnium, nihil est. Deinde etiamsi Deus in somnio apparuisset Balaamo tunc, tamen etiam debere esse tantum Balaami somnium, quando asina locuta est, nondum adhuc consequens est. Adhuc minus recte ex V. 31—35. argumentatur. Hic enim est de Angelo, quem tunc primum Balaam conspexerit. Somniavitne Balaam

tantum,

tantum, istum sibi Angelum apparuisse, vel verene ei apparuit? Nec ipse Jahnius dicit fuisse somnium, sed vocat visionem. Atqui in hac ipsa visione Angelus iste etiam objurgavit Balaamum, quod ter jam verberasset asinam suam. Cum verberatione autem hac copulata fuit etiam illa sermocinatio asinae, et Balaam. Vere autem verberata est asina a Balaamo ex verbis Angeli ad Balaamum: ergo nec sermocinatio illa acta est tantum in Balaami somnio. Sed quid opus est aliis argumentis, dum hoc testatur etiam S. Petrus, cujus haec sunt verba: *Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit: correptionem vero habuit suae vesaniae subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetae insipientiam.* 2. Petr. 2. v. 15. Qui si hoc tantum somniasset, ita suae vesaniae correptionem non habuisset subjugale mutum animal, ita hoc mutum animal non fuisset hominis voce locutum, et non prohibuisset Balaami insipientiam; quemadmodum qui quidpiam somniat se consecutum, non tamen ideo istud etiam habet. Qui, quod vere actum est, convertunt in fabulas, vel somnia in Scriptura sacra, quid agunt, et quid quaerunt aliud, quam ut ex ipsa Religione, quae innititur Scripturae sacrae, fiat fabula, et somnium? Hac in re adhuc sic etiam Jahnius suum voluit exsplescendere ingenium, docendi causa, unde historicus, rem hanc quam literis tradidit, scire potuerit. Ponit Balaamum ipsum suum somnium, veluti rem vere actam, descripsisse, ut regi Moabitarum suam ad ei obsequendum, et maledicendum promptam voluntatem declararet, idque scriptum esse repertum, cum deinde occubuisset in clade, qua affecti Ammonitae sunt ab Israelitis: historicum vero esse laudandum, qui rem ita in historia sua retulerit, quemadmodum fuit in Balaami scripto. Atqui mendax hoc fuisset Balaami scriptum, ut ipse posuit Jahnius, historicus vero est Moyses. Iste

ergo etiam laudandus esset, quod somnia pro veris rebus in sua historia vendiderit? Somniorumne venditor est Moyses?

Balaam iste a S. Petro vocatur propheta, sed Num. 22. v. 5. dicitur ariolus. Non est vero hoc arioli nomen in Hebraeo de Balaamo hocce loco, nec in versione Septvaginta, aut alia vetere. Attamen is *Kosem* vocatur Josue 13. v. 22. quo nomine divinatorem, praestigiatorem, et falsum vatem significari, certum fit ex Deuter. 18. v. 10. 1. Reg. 6. v. 2. Isa. 44. v. 25. pluribusque aliis Scripturae locis. Nec inde sequitur, verum fuisse prophetam, quod Deus ei adparuerit, dum responsum ab eo quaesivisset etiam adhuc postea, imo, quia vera etiam oracula ore illius edita sint: Numer. cap. 23. et 24. dum Deus lingvam illius, paratam ad maledicendum Israelitis, movisset ad benedicendum. Deut. 23. v. 5. Nam per Caipham quoque edita prophetia est, Joan. 11. v. 51. et mulieri, quae praestigiis Samuelem mortuum evocaverat, ut Sauli eventum imminentis praelii cum Philisthaeis praediceret; Samuel apparuit, et quod petebatur, praestitit: 1. Reg. 28. v. 11. quod ipsum postea etiam demonstrabitur.

IX.

DEVTERONOMII 18. v. 15.

Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.

נָבִיא מִקִּרְבְּךָ מֵאַחֶיךָ כָּמֹנִי יָקִים לְךָ יְהוָה אֱלֹהֶיךָ
אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן׃

Hunc prophetam, per Moysem hoc loco promissum, Judaei posteriores, alii alio referunt. Aben Ezra Josuam hunc vult esse, Kimchi, et Jarchi omnes prophetas, quos deinde alios post alios semper Israelitae habuerunt; alii ad Davidem etiam nominatim, vel ad Jeremiam volunt hanc promissionem pertinere. Antiquiores autem Judaeos, vi divinae promissionis, Prophetam exspectasse non quales multos, fere quovis tempore, habuerunt, sed quemdam singularem, certum fit pluribus documentis. Qui cum Simoni Machabaeo pro ejus, et fratrum illius maximis meritis erga se ducis, et summi sacerdotis dignitatem decrevissent in perpetuum, quae in omnes ejus etiam posteros transiret, additum tamen ab iis fuit: *Donec Propheta fidelis surrexisset.* 1. Mach. 14. v. 41. Prophetam itaque exspectarunt, qui et principatum, et una sacerdotium etiam obtineret, et ad quem dispositione divina haec pertinerent. Neque enim aliam ob causam

Simoni in collatione utriusque dignitatis haereditariae tamen istum terminum, donec Propheta fidelis surrexisset, apposuerunt. Propheta vero iste fidelis Messias fuit quem Davidis successorem in ejus throno futurum, regnaturumque, et per Prophetas decantatum, et nemini Hebraeorum ignotum erat. Etiam vero, cur singulariter fidelis iste vocetur Propheta, potest facile adverti, si consideratum fuerit, quid per Moysem hocce Deuteronomii loco erga hunc Prophetam, quem missum a Deo iri spopondit, praeceptum sit, nempe ut hunc audirent, et quem nisi audivissent, ejusque dictis morem gessissent, Deum ultorem futurum, quemadmodum deinde adhuc de hoc Propheta est V. 19. Joannem Baptistam omnes habebant esse prophetam, Matth. 21. v. 26. Et tamen Philippus cum jam se addixisset Christo, et Nathanaelem etiam eidem vellet adjungere, *Quem scripsit Moyses in lege*, dicebat huic, *et Prophetae*, *invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Joan. 1. v. 45. Pariter turba illa hominum quinque millium, viso miraculo panis multiplicati ad se reficiendam, ita de Christo praedicans, *Quia hic est vere Propheta*, *qui venturus est in mundum*, Joan. 6. v. 14. profecto intellexit unum ex omnibus prophetis, quem noverit singulari ratione a Deo mittendum esse. Et ubi extra hunc Deuteronomii locum istius Prophetae alibi divina promissio est?

Patres et interpretes Catholici per hunc Prophetam a Moyse promissum, semper intellexerunt Christum, et S. Augustinus *lib.* 16. *contra Faustum cap.* 19. inde hoc etiam probat, quod Moyses dixerit, Prophetam non prophetas, unumque ex omnibus his singularem, quique intelligendus esset Christus, omnium prophetarum maximus, et Eulogius a. 581. factus patriarcha Alexandrinus in synodo Alexandrina damnavit sententiam eorum, qui per hunc Prophetam, in hocce Deuteronomii loco alium intelligerent, quam Christum, quemadmodum

ex ejus libris refert Photius Cod. 230. Etsi vero conveniant quoad rem, non tamen idem omnium sensus Interpretum est, quoad significationis modum. Nam quidam censuerunt, a Moyse per hunc Prophetam esse intellectos prophetas, qui eum secuturi erant, omnes, atque sub horum typo designatum esse Christum; quidam et ceteros omnes prophetas, et una ipsum etiam Christum; alii autem praecise solum Christum. Neoterici, ut alias prophetias solent a Christo avertere, ita ab his exspectandum neque hic est, ut stent pro Christo. Contextu orationis hoc in Moysis loco, et eos interpretes, qui in explicandi modo variant, ambagibus implicuit; et hunc ii, qui locum istum sonare de Christo negant, suae praetendunt interpretationi.

Itaque hic nobis contextus considerandus est. Antecessit Moysis admonitio ad Israelitas, ne more Gentilium igne lustrarent suas proles, ne somnia observarent, ne ariolos consulerent, et ne divinationes facerent, et quae sunt plura istius generis superstitiosa. Ac deinde, *Gentes*, inquit, *istae quarum possidebis terram, augures, et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Primum ergo contra vanas observationes Gentilium, auguria, et divinationes, tanquam pro antidoto dedit Israelitis legem, per quam aliter instituti essent, didicissentque ea facienda non esse: deinde vero ultra legem praecipit illis insuper, ut Prophetam audirent, quem Deus ipsis missurus sit. Lex nihil ad perfectum adduxit, Hebr. 7. v. 19. sed erat ipsis paedagogus erga Christum, εἰς Χριςὸν Gal. 3. v. 24. Hoc ergo Moyses ipsos etiam docuit, et cum jam legem ipsis dedisset; tamen eosdem adhuc ulterius ad hunc Prophetam Christum, novae legis conditorem, direxit, quem deberent audire. Haec fuere antecedentia. Veniamus nunc ad subsequentia, ut contextum

totum videamus. Postquam ergo Moyses dixisset, Deum Israelitis Prophetam suscitaturum, ac monuisset, ut hunc audirent, *Vt petisti*, inquit, *a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum* (qui voluerit loqui) *interficietur.* Istud vero, quod Israelitae tunc in Horeb petierunt, est sic Exodi 20. v. 19. *Perterriti, ac pavore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Vt prophetam ergo ipsis Deus suscitaret post Moysem, hoc Israelitae non petierunt. Itaque istud etiam: *Bene omnia sunt locuti*, de eo tantum etiam intelligendum est, quod in Israelitarum fuit petitione, ne Deus per seipsum ipsis loqueretur, sed per Moysem: hoc ergo, quod Deus suscitaturus Prophetam, et per quem postea etiam locuturus esset, intelligitur a Deo ultro promissum, non ab Israelitis petitum, quaeque promissio neque vi contextus orationis est de propheta, quasi quem ipsi Israelitae sibi expetiissent, sed est de Christo, utpote qui etiam ipsius legis finis esset. Rom. 10. v. 4.

Sunt vero alia etiam argumenta, quae evincunt, hunc Prophetam, per Moysem promissum, esse Christum. In eo sermone, quem Stephanus martyr habuit in Judaeorum concilio, et cujus loquentis Spiritui, atque sapientiae illi non poterant resistere, cum ad Moysem

venisset, *Hic est*, inquit, *Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis*, Act. 7. v. 37. ex ipso Moyse probans illis, Prophetam promissum esse, quem audire deberent, atque hunc Christum esse. Nisi vero toti illi Judaeorum concilio persvasum fuisset, per hunc Prophetam, quem Moyses promiserat, solum intelligi Messiam, sed esse promissionem de prophetis aliis, quos fere nullo non tempore habuerunt, annon facile fuisset illis, resistere Stephano? an omisissent hoc ei negare, qui in hoc concilio adversus eum pervicacissime disputarunt? S. Petrus quoque idem hoc ex Moyse sic protulit in populi concione, ut hinc probaret et a Moyse, et ab omnibus prophetis esse annunciatum illud, quod tunc ab Apostolis praedicabatur de Christo. Act. 3. v. 22—24. Ergo testimonio S. Petri hoc omnino pertinet ad Christum: aut si non pertinet, nec verum erit Petri testimonium. Alterum potest dici nonnisi a Davide Michaelis a), ejusque similibus. Ergo certum est, tam ex consensione ipsorum etiam Judaeorum, nedum Christianorum, quam ex contextu etiam, et ipsius Petri testimonio hoc loco Deuteronomii praenunciatum a Moyse, et promissum esse Christum.

---

a) Cum is produxisset S. Petri verba, quae sunt Act. 3. 22. subjecit deinde: Nun habe ich nicht nöthig, Petro zu gefallen die Stelle 5. B. M. XVIII. 15. von Christo zu erklären, von dem sie nach ihrem Zusammenhange nicht handlen kann. *Einleitung in die Gött. Schrift des N. B.* §. 32.

X.

JOSVE. 3. v. 11—13.

Ecce arca foederis Domini omnis terrae antecedet vos per Jordanem — — et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes, qui portant arcam Domini Dei universae terrae, in aquis Jordanis, aquae, quae inferiores sunt, decurrent, atque deficient, quae autem superveniunt, in una mole consistent.

הִנֵּה אֲרוֹן הַבְּרִית אֲדוֹן כָּל־הָאָרֶץ עֹבֵר לִפְנֵיכֶם
בַּיַּרְדֵּן׃ — — וְהָיָה כְּנוֹחַ כַּפּוֹת רַגְלֵי הַכֹּהֲנִים נֹשְׂאֵי
אֲרוֹן יְהוָה אֲדוֹן כָּל הָאָרֶץ בְּמֵי הַיַּרְדֵּן מֵי הַיַּרְדֵּן יִכָּרֵתוּן
הַמַּיִם הַיֹּרְדִים מִלְמָעְלָה וְיַעַמְדוּ נֵד אֶחָד׃

Hoc, quod in nostra Latina versione est, pressius vertendo, dat hunc sensum: Ecce arca foederis Domini omnis terrae praecedet coram vobis in Jordane: — — et erit, dum substiterint plantae pedum sacerdotum, portantium arcam Dei, dominatoris universae terrae, in aquis Jordanis, aquae Jordanis scindentur: aquae fluentes e supero (scindentur,) et stabunt cumulus unus. Etiam

ubi deinde hoc factum esse narratur, V. 16. est: *Steterunt aquae descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe, quae vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quae autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usque quo omnino deficerent.* Pressius juxta Hebraeum: *Et steterunt aquae fluentes ex supero, steterunt acervus unus* a) *longius abscedendo valde in Adam civitate, quae ex latere est Sarthan:* hoc est, ubi e superiore parte venientes aquae constitissent in loco, in quo sacerdotes, portantes arcam, ingressi sunt Jordanem, atque in cumulum, et acervum assurrexissent; iste acervus aquis ulterius supervenientibus crescens, pervenit usque ad civitatem Adama. In tribu Nephtali haec fuit civitas. Josue 19. v. 33. Eae autem, quae descenderunt mare solitudinis versus, quod est mare salsum, defecerunt, et perditae sunt.

David Michaelis quamvis in V. 13. sic ipse quoque Hebraicum vertisset: *Et dum pedes sacerdotum, qui arcam Jehovae, domini totius regionis portant, aquam Jordanis contingent, aqua se dividet, et de supero veniens in uno cumulo consistet,* b) tamen in adnotationibus suis dicit, se non audere statuere, an naturale fuerit, nec ne, quo Deus usus est ad fluvium Jordanem exsiccandum. Nam flumina nonnunquam per terrae motum ad breve tempus exsiccari, dum superiore parte consistunt, inferiore vero defluunt, notum esse.

---

a) קָמוּ נֵד אֶחָד

b) Und wenn die Füsse der Priester, die die Bundeslade Jehova des Herrn des ganzen Landes tragen, das Wasser des Jordans berühren; so wird das Wasser sich theilen, und das von oben herab kommende auf einem Haufen stehen bleiben.

Num vero eo tempore terrae motus fuerit, isteque efficere potuerit illud, quod tunc factum est in Jordane secundum situm alvei Jordanis, hoc se nescire dicere. Nullum tamen ejus, quod notum esse dixit, exemplum produxit. Et brevene tempus illud fuit, donec tanta hominum multitudo bis decies centenorum millium cum impedimentis transiret? Jahnius, Davidi Michaelis suppetias fert, et quomodo res haec naturaliter accidere potuerit, magis declarat. *Nec verendum est*, inquit, *ne aquae ad Zarthan consistentes totam planitiem Jordanis inundarint. Poterant enim a cavitate subterranea, quae forte terrae motu aperta fuit, absorberi, donec Hebraei alveum egressi essent, ut miraculum, sicut plura Moysis miracula, fuerit revelatio ejus, quod nemo futurum praevidere poterat.* Introduct. in Lib. V. F. (Lat.) Part. II. §. 30. Quonam modo autem Jahnius potest dicere, potuisse a subterranea cavitate aquas absorberi, quae forte terrae motu aperta sit, dum Scriptura diserte docet, aquas in cumulum assurrexisse? Quod David Michaelis de terrae motu, num is eo tempore reapse fuerit, se tantum nescire dixit, jam hunc Jahnius pro certo sumit, et tantum de loco, quo se aquae recipere possent, ne omnia late inundarent, et ipsa etiam Hebraeorum castra obruerent, sollicitus fuit. Cavernam subterraneam, quae non est in Scriptura, fingit; acervationem aquarum, quam Scriptura loquitur, negat. Dum vero, ne cavernam quidem suam aliter adstruere potest, quam dicendo, forte fuisse; illud tamen non forte, sed indubitanter hac quaeritur interpretatione, ut dum spes non est, ut succedat prodigii istius directa oppugnatio, tamen dubium faciendo, vis illius enervaretur. Ne tamen videretur miracula sufferre velle, dat, non eo minus fuisse miraculum, in hac traductione Israelitarum per Jordanem, quia de hoc praecesserit Dei revelatio. Atqui aliud est praedicere, et aliud miraculum.

Tollit ergo ista ratione miraculum. Nec satis ei fuit istud sic explicare per praedictionem, ne maneat miraculum, sed *sicut*, inquit, *plura Moysis sunt miracula*, et quod in Germanica sua editione adhuc significantius expressit: Die meisten Wunder: *pleraque miracula.* Quae si vel dubia fiant, cessant esse firmamenta Religionis.

XI.

JOSVE. 6. v. 20.

Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, et adscendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem.

וירע העם ויתקעו בשופרות ויה כשמע העם את־
קול השופר ויריעו העם תרועה גדולה ותפל החומה
תחתיה ויעל העם העירה איש נגדו וילכדו את־
העיר׃

De civitate Jericho est hoc. Quam cum sex diebus quotidie semel Israelitae circumivissent, clangentes buccinis, die vero septima circuitum hunc septies fecissent, in septimoque hujus diei circuitu etiam clamorem sustulissent, quemadmodum mandatum ipsis fuit a Deo; muri conciderunt, quibus urbs cingebatur, hoc est moenia. Ita urbem invaserunt, et deleverunt. Refert David Michaelis in suis adnotationibus, fuisse quospiam, qui, ut explicarent, quomodo moenium iste casus acciderit naturali ratione, eo dementiae devenerint, ut dicerent, vi illius clamoris ingentis, qui factus est a tanta populi multitudine, moenia corruisse: siquidem etiam pocula soleant disrumpi valide clamando ad haec intro. Hoc de poculis etiamsi verum esset, cujus rei experimentum negat se se ullum scire, tamen ut similiter ad solum qualemcunque clamorem moenia caderent, nondum dat esse consequens ipse etiam Michaelis. Hoc ergo factum esse dicit vel per miraculum, vel etiam absque hoc: siquidem divina providentia hoc facere potuerit sine miraculo, v. g. per terrae motum. Explosit illorum commentum, qui fingerent, vi clamoris cecidisse moenia, idque, quod liber Josuae ne verbulum quidem habeat de hocce casu moenium ex clamore. Sed neque de terrae motu ulla fit mentio. Cur ergo hinc casum moenium fieri potuisse ponit, quem pariter nullum liber Josuae habet? Aliundene istud est, quam, dum nihil potest reperire, quo miraculum neget, tamen istud dubium faciat: atque ita infirmum pro demonstratione Religionis fiat? Davidem Michaelis sequitur etiam Jahnius, cujus haec sunt verba: *Ita quoque*, supra citato loco, et post illam explicationem de transitu Hebraeorum siccis vestigiis per Jordanem, *moenia Jerichunti Jos.* 6. v. 3—21. *eo temporis puncto, quo ambientes urbem Hebraei conclamabant, exorto terrae motu, concidere potuerunt, ut miraculum sit rursus illa praescientia, omnes vires*

rationis humanae excedens. Advertendum vero est, sola moenia concidisse, idque per circuitum totius urbis. Nam hanc deinde undique invaserunt bellatores Hebraei, qui civitatem circumiverant, idque ex loco directe, ubi quemque eorum contigit esse, postquam moenia ruerunt: deinde vero urbem ingressi incolas contrucidaverunt, praedam collegerunt, ac nonnisi postea urbem incenderunt, et everterunt. Jos. 6. v. 5. 20. etss. Quod si vi terrae motus concidissent moenia, quae sunt fortiora semper, et solidiora, quam aedes urbium aliae, stansne mansisset domus Rahab, et omnes ceterae in urbe? Isti ergo qui per terrae motum somniant potuisse evenire illum casum moenium urbis Jericho, noveruntne, quid vi terrae motus fieri potuerit naturaliter?

XII.

JOSVE. 10. v. 12.

Tunc locutus est Josue Domino, in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon. Steteruntque sol, et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justorum? Stetit itaque sol in

medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.

אָז יְדַבֵּר יְהוֹשֻׁעַ לַיהוָה בְּיוֹם תֵּת יְהוָה אֶת־הָאֱמֹרִי
לִפְנֵי בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וַיֹּאמֶר לְעֵינֵי יִשְׂרָאֵל שֶׁמֶשׁ בְּגִבְעוֹן
דּוֹם וְיָרֵחַ בְּעֵמֶק אַיָּלוֹן׃ וַיִּדֹּם הַשֶּׁמֶשׁ וְיָרֵחַ עָמָד עַד־
יִקֹּם גּוֹי אֹיְבָיו הֲלֹא־הִיא כְתוּבָה עַל־סֵפֶר הַיָּשָׁר וַיַּעֲמֹד
הַשֶּׁמֶשׁ בַּחֲצִי הַשָּׁמַיִם וְלֹא־אָץ לָבוֹא כְּיוֹם תָּמִים׃
וְלֹא הָיָה כַּיּוֹם הַהוּא לְפָנָיו וְאַחֲרָיו לִשְׁמֹעַ יְהוָה
בְּקוֹל אִישׁ כִּי יְהוָה נִלְחָם לְיִשְׂרָאֵל׃

Praeterquam, quod Neoterici Josuae hunc librum eripiant, ut ita fidem labefactent rerum, quae in hoc narrantur, cui vero Josuae liber iste assertus est Part. II. Cap. 19. §. 105. dumque in aliis per Josuam patratis prodigiis, quae jam producta, et defensa sunt, contenti sint, si illa possent dubia, atque incerta reddere; istud, quo sol constitit ad vocem Josuae, adhuc vehementius impetunt, tollereque penitus nituntur, cujus lucem pro revelata Religione, splendoremque non possunt ferre. Etiam Deistae, istis praeiverunt, qui nunc ex nova Literatura Scripturae interpretes in scenam prodierunt. Hobbesius hanc omnem lucem, quae tunc fulserit,

quando Josue stare jussit solem, et unde habita sit illa dies longior, sua hujus loci interpretatione posuit venisse ab ea, quae eo die antecesserat ingens grando, per refractionem radiorum solis ex ea grandine. Peyrerius, auctor systematis Praeadamitarum, adstruxit, non aliam hanc fuisse lucem, quam quae post solis occasum crepusculi fuit lux, casu tunc solito longior. Grotius, videns hocce utroque modo violenter fieri ab istis diem, quam Scriptura refert productam tum esse tanto spatio, quantum est diei unius, atque adeo, ut dies haec evaserit duplo longior, quam fuerit ordinarie; nihil nisi tropicam loquendi rationem posuit in verbis Josuae, quibus petierit, ut consisteret sol, ac deinde dicitur, factum istud esse, quibusque ad propriam significationem reductis Josue suum tantum desiderium expresserit, ne dies illa prius deficeret, quam plenam de hostibus victoriam retulisset: cumque hanc obtinuisset, antequam nox facta esset, luxque solis ei subducta non fuisset prius, quam totum illud praelium perfecisset; hoc solum esse, nihilque aliud in his verbis, stetisse solem, et non festinasse occumbere. Grotio consensit Joannes Clericus, et Zwingliani Tigurini in Scripturae versione sub nomine Vatabli, qui Parisiis professor fuit lingvarum Orientalium scientissimus.

Ista ratio hunc locum Josuae explicandi de statione solis, sumendo verba improprie, arrisit etiam Davidi Michaelis. Cum tamen illud, non fuisse antea, nec postea tam longam diem, quodque spatio unius diei sol non festinasset occumbere, in medio caeli consistens, nondum videretur satis elaboratum, cumque illa figurata loquendi ratione conciliatum; Grotii inventionem ulterius provexit, diei, quam solam tantum Grotius sumpserat, noctem etiam insequentem adjungendo pro incremento, et productione ejusdem diei, quaeque nox tropice dicta dies sit propter summam claritatem suam ab coruscantibus

continuis ignibus fulgurum. Etiam hic Jahnius suum Davidem Michaelis presse sequitur. *Orta nempe est*, inquit, *post praelium tempestas*: *Jos.* 10. *v.* 11. *quae primum hostes plurimos grandine confecit: deinde vero Hebraeis lumine fulgurum Canaanitas conspicuos reddidit, ut eos tota nocte, non secus ac si dies esset, persequerentur.* Introd. in Lib. V. F. (Lat.) Part. II. §. 30.

Mos, et usus loquendi est his novis Interpretibus, et ipsi etiam Jahnio *primum*, *et summum Hermeneuticae principium*, *a quo omnes regulae interpretandi pendent.* Enchirid. §. 7. et de quo principio fuit supra Regul. Interp. Cap. 2. §. 9. Scriptor hujus libri refert, sic locutum esse Josuam: *Sol contra Gabaon ne movearis*, *et luna contra vallem Ajalon*, ac deinde, quid factum sit, dicens: *Steteruntque*, inquit, *sol*, *et luna*, *donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Memorat deinde hoc idem sic exstare memoriae proditum in libro Justorum. Iterumque postea repetit: *Stetit itaque*, presse juxta Hebraeum *et stetit* a) *sol in medio caeli*, *et non festinavit occumbere spatio unius diei.* Explicat insuper, et declarat idem adhuc apertius: *Non fuit antea*, *nec postea tam longa dies.* Primum proferat Jahnius cum suo Davide Michaelis aliquod exemplum undecunque, ex quo videamus, morem hunc aliquando fuisse loquendi, ut nox, in qua coruscarunt fulgura quantacumque, adpellata sit dies. Numquamne antea, nec postea erant tempestates fulmineae, quae integras duraverint noctes? Et cui tamen unquam in mentem venit dicere, constitisse solem in medio caeli, et non occubuisse, dum diem nox exciperet cum fulminea, et fulgurum ignibus coruscante tempestate?

---

a) וַיַּעֲמֹד

Agnovit

Agnovit ipse Jahnius, insolitam hanc esse loquendi rationem. Quid igitur? *Poeta*, inquit eodem supra citato loco, *in sublimi carmine, audaci figura induxit Josuam soli, et lunae praecipientem, ut cursum sisterent, atque audaciori porro figura adjecit, solem, et lunam mandato hominis paruisse.* Vbi est: *Nonne scriptum est hoc in libro Justorum?* Istud, in libro Justorum a) David Michaelis vertit: *in libro Hymnorum.* (Im Buch der Gesänge.) Quod sic verterit, dicit, se Lutheri versione annis 1500 antiquiorem versionem secutum esse. Istius ergo libri hymnorum scriptor, et compositor est etiam Jahnio poeta, et hic liber sublime illud carmen. Hanc versionem ubi viderit, et ubi sit, David Michaelis non dicit, utique, quia nec dicere potuerit: quam si vidisset, hoc dicere non praetermisisset. Lutherus suam versionem totam absolvit, et edidit anno 1535. Ergo haec, quam ista annis 1500 antiquiorem versionem allegat, debuisset esse facta ante seculi Ecclesiae primi annum 35. Fortissimum hoc posset esse argumentum tam antiquae versionis: tantum ante Davidem Michaelis jam quispiam etiam alter de hac somniasset. Et quae sana critica docet, unius versionis, uniusque Codicis auctoritatem anteferre fonti Hebraeo in summa consensione non tantum codicum fontis, verum etiam versionum omnium cum hoc eodem fonte? Ergo esse tropicam locutionem, et audacem figuram orationis, quia sit sumpta ex carmine, fundamentum nullum habet, et haec libri Justorum conversio in librum hymnorum est tantum audacter, et temere ad pervertendum sensum Scripturae, et tollendum miraculum de statione solis a Davide Michaelis facta.

Sed Habacuc propheta, dum in carmine indubitato sic cecinit hac de re gesta per Josuam: *Sol, et luna*

---

a) סֵפֶר הַיָּשָׁר

steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae Habac. 3. v. 11. certe stilo usus poetico est, et stetisse solem et lunam in habitaculo suo, id est, in caelo, non dixit nisi figurata oratione. Nam et alterum quod est de sagittis, et hasta tropicum est. a) Hoc alterum esse tropicum, verum est. Ergone hinc sequitur, etiam quod de sole, et luna dixerat, stetisse, debere esse tropicum? Omniane etiam in Poetico opere debent esse expressa figurata oratione, et nuspiam in his locus datur propriae dictioni? Deinde auctor libri Josuae post Habacucumne scripsit, vel post illum Habacuc, stetisse solem in caelo? Ergo uter eorum ex altero rem mutuatus est, et ubi istius loci intelligentia velut in fonte constituenda esset, si intercederet quaedam inter ipsos loquendi differentia? At vero etiam conveniunt. Eo itaque evidentius est, ne in Habacuco quidem locum esse suspicioni in verbis, stetisse solem, et lunam, de locutione impropria. Ad hunc eumdem modum etiam rem hanc memorat Ecclesiasticus Cap. 46. v. 5. *Annon*, inquit, *in iracundia ejus* (Josuae) *impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?* Etiamne iste, insuper sic explicans illud, quod in libro Josuae est, non festinasse solem occumbere spatio unius diei, ut una illa dies, qua sol in cursu suo impeditus est, facta sit instar duarum dierum, carmen scripsit, et idcirco tropice loqui debuit? Nihil facilius est, Scripturae verba quantumcunque clara, et rem in

---

a) Reliquum ex Habacuc sic est in Hebraeo: לְאוֹר חִצֶּיךָ יְהַלֵּכוּ לְנֹגַהּ בְּרַק חֲנִיתֶךָ *In lucem sagittae tuae abiverunt, in splendorem abiit fulmen hastae tuae.* Per sagittas, et hastam divinam fulmina intelliguntur micantia, quae Deus eodem tempore, quo solem in caelo stiterat, in Chananaeos, contra quos Josue pugnaverat, evibravit.

ea testatam, quocunque alio etiam in loco, sic trahere ad sensum, quem tu habere volueris, dicendo, in verbis illius esse tropum, et figuram orationis, quam tu tantummodo ipse cudisti. Non Scripturae uspiam, sed tua haec audacissima est figura orationis, quam comminisceris juxta libidinem tuam sentiendi. Haec tua est poesis, dum tua figmenta in locum significationis, quam legitime verba dant Scripturae, nequissime supponis.

Etiam vero philosophari volunt, et ratione probare, ne fieri quidem potuisse hoc de statione solis, nisi in perniciem ipsorum etiam Hebraeorum, et cum decussione, et casu omnium aedificiorum in superficie universae telluris, ac tandem, quo tantum fieri debuisset prodigium, quod se extendisset per omnia, quae cum solis cursu colligata sunt sidera? Nam, quod ad primum attinet, si sol, idque in medio caeli, atque adeo in meridie constitisset spatio unius diei, in calida illa Palaestinae regione, volunt, futurum fuisse, ut exurerentur omnia, nec ipsi Hebraei aestu, atque siti fatigati hostem persequi possent, atque ita rem adversus finem etiam futuram fuisse, in quem ponitur facta haec statio solis esse. Fuit vero ista pugna cum Chananaeis, in qua constitit sol, brevi postquam transierunt Jordanem, et in vere proxime post pascha, quod Israelitae jam trans Jordanem in Galgalis celebrarunt. Jos. 5. v. 10. In vere autem, et paschatis tempore nec in Palaestina adhuc est ejusmodi aestus. Nam si diurnus tantus esset aestus, non vesperi calefaciendi causa in atrio principis sacerdotum struxissent sibi ministri ignem, ad quem ut se calefaceret, etiam accesserat Petrus. Luc. 22. v. 55. Ruina, quae sequi debuisset, et casus omnium, quae sunt in superficie terrae, inde concluditur, quod cum solis motus circa tellurem tantum apparens sit, terra autem reapse moveatur circa solem, et iste motus tam celer, et rapidus sit, ut minuto uno terra emetiatur Germanica milliaria 3 3/4, si

globus terraqueus subito constitisset, ex tam vehementi motu ad subitam quietem positione asserant ruere debuisse omnia. Et benene sic philosophantur? Tellurisne ad quietem positio, quamvis subita, causa naturalis debet esse concidendi? et cur non potius prosterni omnia deberent ex motus, quo circumagitur tellus, ea velocitate, quae dicta est? Namque ex motione, qua fit, ut linea directionis cadat extra basim, constat cadere quaevis corpora, non vero hoc consectarium est quietis. Sicut autem in illo tam veloci motu telluris, quovis minuto temporis fere quatuor milliarium Germanicorum, quia aequabilis est motus omnium, quae sunt in tellure, nihil ideo labitur, et ruit; ita neque sequitur casus, et ruina, dum manente eadem aequabilitate tellus tunc sub Josua repente constitit. Sed superflua etiam haec omnis est disputatio, quando, num subito, aut pedetentim sol constiterit, aut sicut philosophis placet, tellus, a) Scriptura non dicat, intactumque relinquat, alterumque etiam esse potuisset. Et in miraculo exquirendaene sunt

a) Objectiones modo allatae contra illud, solem stetisse ad vocem Josue, structae sunt supra systema Copernici. In quo solis motus ponitur solummodo apparens, verus autem Telluris in contrariam partem, et ab Occidente in Orientem. Secundum quod systema etiam data responsa sunt ad easdem objectiones, nisi quod dixerim, Philosophis placere, Tellurem circa Solem, non hunc circa illam moveri. Siquidem perinde sit quoad miraculum, sive Solem, sive Tellurem Josue stiterit: meum autem assensum retinui, habens quasdam observationes, dum neque ab ipso Copernico illud sit definite positum, quod in ejus systemate est, sed neque sic poni potuerit.

Corpora caelestia in planetarum, et cometarum regione constituta in se mutuo gravitant, quo Astronomi vocabulo utuntur, in ratione reciproca duplicata mutuarum distantiarum. Ex hac mutua duorum corporum in se gravitatione iidem concludunt, idque rectissime, corpus pondere minus moveri circa corpus, cujus secum in mutua gravitatione positi pondus majus est,

in quamcunque ejus partem naturales effectiones? Nam, qui Deus potentia sua solem stitit, idem vi ejusdem miraculi fecit, ne ubi constitit, aut nimius, atque noxius

---

unde illud istius etiam satellitem vocant. Iidem Astronomi ex theoria universalis attractionis habent velut certum, massas duorum quorumvis corporum esse inter se, ut sunt cubi mediocrium distantiarum, quibus satellites a suis primariis sideribus sejunguntur, divisi per quadrata temporum periodicorum eorumdem satellitum. Qui iidem tamen etiam confitentur, debere prius esse certum, quod e duobus corporibus in se mutuo gravitantibus satelles alterius sit, quam eorum massae possint adprehendi, et definiri. Tellurem autem Copernicus satellitem solis posuit praecise per seipsum nihil habens, unde probavisset, vel etiam probare potuisset massam Telluris esse pondere minorem massa Solis, et unde pendet, determinare, utrum corpus e duobus in se mutuo gravitantibus sit alterius satelles; dumque ex ipsorum Astronomorum confessione, massarum quantitas duorum quorumvis corporum in se mutuo gravitantium aliter non possit inveniri, nisi habendo prius, quodnam illorum sit satelles alterius, neque ergo etiam determinatio massarum Solis, et Telluris fieri potuit, statuendo, hanc illius esse satellitem solummodo precario, uti factum est a Copernico. Quod autem superstructum est fundamento assumpto tantummodo precario, habetne certam veritatem?

Illud quoque meum suspensum tenet assensum, ne tamquam certum habeam, Solis motum esse solummodo apparentem, Telluris autem circa Solem verum, ut est in systemate Copernicano. Sol ponitur in hoc fixus aliqua nonnisi circa axem suum data ei conversione. Tellus vero circa hunc conficit eam conversionem tam annuam, quam diurnam, quam videmus in Sole, quemadmodum iis, qui navigant, urbes, et montes videantur recedere, et moveri in contrariam navis cursui partem. Sunt autem etiam stellae in caelo fixae praeter eas, quae planetae, et cometae dicuntur. Dum igitur infra has Tellus in motu, atque cursu suo procederet ab occidente in Orientem, istae etiam perinde atque Sol, deberent apparere nobis moveri, eademque celeritate, qua Sol, in contrariam Telluris cursui partem. Anne vero hoc obtinet?

aestus, aut aliqua telluris convulsio, et praecipitatio consequeretur, si sol consistens quidpiam secum hujusmodi afferre naturaliter debuisset. Quantum autem assequi mente possumus, neque enim nostrum esse debet comprehendere, quomodo Dei opera fiant, ultra hunc cursum naturae posita, qui causas rerum naturalium non perspicimus, omnino, sole stante, etiam oportuit sisti cursum aliorum astrorum omnium. Nec cura illa quemquam ideo sollicitum habere debet, ne si latius patuit miraculum; idcirco Deo hoc operosius fuerit efficere, cujus virtuti ad efficiendum cuncta sunt paria. Dum autem Deus manifestationem notitiae suae, et gloriae ex omni opere suo quaerit, quo majus, atque illustrius opus illius est, eo magis etiam ad hunc finem divinae gloriae illustrandae, et manifestandae aptum, atque efficax est.

XIII.

JVDIC. 16. v. 19.

At illa (Dalila) dormire eum (Samsonem) fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et coepit abigere eum, et a se repellere. Statim enim ab eo fortitudo discessit.

וַתְּיַשְּׁנֵהוּ עַל־בִּרְכֶּיהָ וַתִּקְרָא לָאִישׁ וַתְּגַלַּח אֶת־שֶׁבַע
מַחְלְפוֹת רֹאשׁוֹ וַתָּחֶל לְעַנּוֹתוֹ וַיָּסַר כֹּחוֹ מֵעָלָיו׃

Quantas vires habuerit Samson, et his quas res egerit, est demonstratum Part. II. Cap. 20. §. 109. Has unde haberet, ipse sic declaraverat: *Ferrum nunquam adscendit super caput meum, quia Nazaraeus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meae. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque, sicut ceteri homines.* V. 17. Hanc meram fuisse Samsonis persvasionem falsam, sibi esse vires illas stupendas a capillis, docuit Jahnius Introduct. Part. II. §. 37. (Lat.) Cujus haec sunt verba: *Nexus virium cum caesarie, mera erat opinatio Samsonis: quare, abscissis capillis, animo concidit, nec vires suas experiri ausus est. Quum vero caesaries rursus accrevisset, animos resumpsit, et eodem polluit robore.* Quod ita se non habuisse, ex V. 19. evidens fit: ubi Scriptor hujus Judicum libri testatur, statim ut rasum Samsoni fuit caput, discessisse ab eo fortitudinem. Est de eodem ulterius V. 20, ubi Dalila deinde Philisthaeos inclamasset, et ad eum comprehendendum advocasset: *Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar, sicut ante feci, et me excutiam, nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.* Nam, si fortitudo ab eo discessit inde, quod resecti ei sint capilli; vere vires Samsonis a capillis pendebant, non istud sibi tantum falso persvaserat. Potiusque contrarium ei, quod Jahnius adstruit, fecit, dum jam amissis capillis, sed quos se amisisse nondum adverterat, e somno excitatus, irruere in Philisthaeos voluerat, quemadmodum antea saepius fecerat. Bonane fide agit Jahnius, dum rem aliter refert, quam sit posita in Scriptura!

Ergone vim in Samsone capilli habuerunt ad praestandas tantas ei vires, et a capillis pendentne nostrae vires? Dum se Samson excutere voluisset de Philisthaeorum manibus, dicit Scriptor hujus libri, nesciisse ipsum, quod recessisset ab eo Dominus. Ex quo intelligitur, vires fuisse ei datas virtute divina, et quia has perdidit, dum ei resecti fuissent capilli, recuperaverit autem, simul atque hi ei succrevissent, quando deinde templum Dagon binas ejus columnas, quibus innitebatur, complexus, ad praecipitium impulit, et subvertit, has sic ei fuisse divinitus datas, ut tamen penderent ab ejus capillis, tanquam a conditione, cui Deus has alligatas esse voluerit. Fuit Nazaraeus, Deoque consecratus ab infantia sua, et cujus Nazaraeatus lege capillum ei secare non licuit. Nec tamen etiam vi sui Nazaraeatus has a Deo obtinuit vires: alioquin Nazaraei omnes talibus praediti fuissent. Quorum tamen nullus similibus pollebat viribus. Cum vero Samson ipse testatus sit, sibi quia Nazaraeus, Deoque consecratus esset, datas esse has a Deo vires, idque non ex falsa, ut jam ostensum est, persvasione, sequitur hunc istas, humanis majores vires accepisse quidem a Deo, quia Deo consecratus erat, non tamen vi hujus consecrationis, sed Dei dono, ut per eum inciperet liberare Israelitas de manu Philisthaeorum, Jud. 13. v. 5. suamque ut notam faceret potentiam, qua jugum Philisthaeorum possit depellere ab Israelitis, quamvis exuti per eos non tantum omnibus fuissent armis, sed quibus ne ullius quidem ferri fabricandi, etiam ad agrorum culturam, reliquerant facultatem. 1. Reg. 13. v. 19.

Dum ergo Samsoni vires, quibus pollebat, datae divinitus, non naturales fuerint, a robore corporis, et membrorum, nervisque pendentes; intelligi potest, supervacaneum esse, laborare, quomodo ea, quae egit, efficere viribus suis potuerit, quae naturalibus erant superiores. Attamen etiam in his rebus a Samsone actis, Neoterici,

ut jam vidimus in aliis etiam prodigiis, ingenium suum exercent, et narrationi, quae de his est in Scriptura, addendo quae volunt de eodem suo ingenio, omnia, quae Samson egit, contendunt iis viribus, quae ei naturales a firmitate, et robore corporis fuerint, esse perfecta: quales insolitas vires, pure tamen naturales, pluribus etiam aliis fuisse constet. Ac primo ejusmodi esse, quod leonem discerpserit, siquidem etiam David leonem et ursum, apprehenso eorum mento, suffocaverit. 1. Reg. 17. v. 35. Et tamen non idem testatur Scriptura de hoc facto Davidis, quod de Samsonis, qui Dei Spiritu in se ruente, dilaceraverit leonem. Jud. 14. v. 6. Proinde istud etiam magis confirmat illud, quod dictum est de viribus Samsonis, suis viribus quamvis naturalibus, David interfecerit leonem, non suum tamen leonem sic interfecisse Samsonem. In captura vulpium auxilia aliorum ei adjungunt. In capiendis vero his non tam vires, quam sollertia, et industria eluxit: nec numerum illum esse ab eo captum, putandum est spatio unius horae, vel etiam diei, tacente Scriptura, intra quod tempus perfectum hoc ab eo sit. Perinde, licitum est abundare ipsis ingenio in vulpibus, a Samsone captis, num hae verae vulpes, vel genus ferorum canum, quos aureos vocant, istud fuerit: quorum jam Archaeol. C. 1. §. 3. mentio facta est. Quoad vires enim, quas his in vulpibus, vel canibus exeruit Samson, nihil interest.

In eo, quod refert Scriptura, Judic. 15. v. 15. maxilla asini interfecisse mille Philisthaeos, adjungunt hi iidem novi interpretes, nominatim David Michaelis, et Jahnius, ter mille illos Hebraeos, qui ad Samsonem in speluncam Etam venerant, ut eum in Philisthaeorum manus traderent, dum Samson, ruptis vinculis, quibus erat ligatus, et arrepta maxilla asini, quae se ei obtulerat jacens in terra, irruere coepisset in eosdem Philisthaeos, qui ad eum comprehendendum venerant, hique, panico timore

correpti, versi in fugam essent. Non tantum vero istos ter mille Hebraeos se se junxisse cum Samsone in caedendis Philisthaeis, in Scriptura non est, sed neque probabiliter suspicari licet, eos, qui Samsonem in manus Philisthaeorum tradere volebant, illorum metu, ut satisfactione accepta placarentur, istos eosdem, caede illorum, qui ad Samsonem abducendum venerant, vellent adversum se etiam irritare: quae etiam mille hominum caedes, et interitus non ipsos juvisset, quin Philisthaeorum iram magis acuisset. Est deinde etiam diserte V. 14. Spiritum Dei irruisse in Samsonem, et isto praeditum rupisse subito sua vincula, et maxilla asini interfecisse mille illos Philisthaeos.

In eo autem, quod deinde refertur, Deum Samsoni, dum Philisthaeorum caede patrata, sitis illum vehemens ursisset, aquam ex eadem maxilla asini ad relevandam sitim prodigiose dedisse, iterum ut prodigium sufferant, omnia sua interpretatione pervertunt. Dicunt, huic loco, in quo Samson sitim aqua levaverit, jam fuisse antea nomen *Lechi* a) quod maxillam significat, atque in hoc loco casu quopiam, sed naturali, erupisse tunc fonticulum. Falsum vero primum est, huic loco jam antea fuisse nomen *Lechi:* siquidem hoc nomen ei loco esse inditum tantum a Samsone, sit diserte V. 17. *Et vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillae.* Itaque nomen *Ramath lechi*, vel decurtatum *Lechi* ab hac re a Samsone contra Philisthaeos maxilla asinae acta, est tantum ei loco factum. Est deinde istud sic in Scriptura, Samsonem Philisthaeorum caede patrata, maxillam projecisse e manu, et siti cruciatum clamasse ad Dominum: aperuisse vero Dominum molarem dentem in maxilla asini, et egressas esse ex eo aquas:

---

a) לְחִי

presse juxta Hebraeum fontem: *Et rupit Deus Hammachtesch, qui in maxilla, et exierunt inde aquae.* a) Hammachtesch autem cum generatim id significet Hebraeis, quo quidpiam comminuitur, et contunditur ipsumque etiam mortarium, in quo res contundi, et comminui solent; idcirco recte etiam Latinus interpres hoc *molarem dentem* vertit: siquidem sit de *lechi*, id est, maxilla, qua, ope dentium cibus comminuitur: cumque non de alia, quam asinae maxilla, qua Philisthaeos percussit Samson, antecesserit sermo, et a qua ipsi etiam illi loco inditum tunc nomen hoc *Lechi* sit, sequitur, vi contextus orationis nonnisi hanc etiam maxillam asinae, unde exierint aquae, quibus sitim restinxit Samson, intelligi posse.

Vrbis Gazae portas, quae caput unius dynastiarum quinque Philisthaeorum fuit 1. Reg. 6. v. 17. ideo tantum Samson sustulit cum postibus, atque seris, in montemque suis humeris portavit, hisque asportandis par fuit, quia hae portae non ejusmodi cogitandae sint fuisse, quales nunc urbium sunt, juxta nostros eosdem novos interpretes, sed tantum tales, quibus portandis etiam nunc quisque hominum robustior sufficeret. Atque hoc ita confidenter asseverant, quasi Gazae eo tempore habitassent. Fuerunt vero in Chananaea, cujus pars etiam Philisthaeorum regio erat, *urbes magnae, et ad caelum usque munitae.* Deut. 1. v. 28. In his ergone ejusmodi tantum portulae, erant, quas ex nobis etiam quisque robustior evellere, et auferre in montem posset, quaeque *robur viri fortis*, ut inquit Jahnius, *non superaverint?* Perinde templum illud, cujus duas

---

a) וַיִּבְקַע אֱלֹהִים אֶת־הַמַּכְתֵּשׁ אֲשֶׁר בַּלְּחִי וַיֵּצְאוּ מִמֶּנּוּ מַיִם

columnas manibus apprehendens Samson ad casum praecipites egit, et cum quibus tota moles templi concidit, tam vasta, ut tria millia hominum contineret, iterum hi nostri architecti tam debile ponunt, *ut hujus columnae a viro robustiori facile concuti potuerint.* Sunt verba iterum Jahnii jam superius citato loco. Columnae duae, molem sustinentes tribus millibus hominum completam, a viro robustiori facile concuti poterant. Fatuis, istud asserendo, os sublinere potest: nemo prudens, et qui tantillum rerum usum habet, credet. His denique Aristarchis ipsarum etiam divinarum rerum, non habentur ista a Samsone viribus ultra naturae ordinem acta, quod se dicant non perspicere, cur Deus praeter naturam et eo magis per hominem, cui res cum meretricibus fuerit, agi ista voluisset. Quem finem Deus in his habuerit, tametsi hoc nostrum non debeat esse pervidere, neque enim Dei consiliarii sumus, Roman. 11. v. 34. quantum perspicere datur ex ipsa Scriptura, jam supra declaratum est. Etiam vero David propheta mansit, postquam adulterium, et homicidium perpetraverat.

XVI.

1. REG. 28. v. 12.

Cum vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

וַתֵּרֶא הָאִשָּׁה אֶת־שְׁמוּאֵל וַתִּזְעַק בְּקוֹל גָּדוֹל וַתֹּאמֶר
הָאִשָּׁה אֶל־שָׁאוּל לֵאמֹר לָמָּה רִמִּיתָנִי וְאַתָּה שָׁאוּל׃

Si mulier, pythonem habens, a) vere vidit Samuelem, quem ad petitionem Saulis mortuum evocavit, et ex quo Saul scire voluit eventum sibi instantis praelii cum Philisthaeis, ergo consequens erit, Samuelem etiam vere ad praestigias mulieris comparuisse. Nec solis vero praestigiis, neque, si in his intervenisset etiam sua opera ipse daemon, poterat fieri, ut Samuel, vita functus, sisteretur. Non enim profecto istud in daemonis arbitrio est, et co minus in virum Sanctum, qualis Samuel pro-

a) Spiritus Pythonis fuit spiritus divinandi, Act. 16. v. 16. et ejusmodi res agendi, quae crederentur posse fieri nonnisi vi altiore, quam quae sit humana. Hebraeis is, qui spiritum hunc habebat, ventrem Hebraice *Obh* habere dicebatur, quod hi divinantes responsa darent ex imo ventre vocem trahentes. Quamobrem etiam Graecis ἐγγαςρίμυθοι, *Ventriloqui* dicti sunt. Apollo vaticinandi Deus dictus est Pythius. A quo venit etiam Pythonis spiritus.

pheta fuit. Hunc ergo Samuelem, quem mulier vidit, qui deinde locutus cum Saule est, interitumque, qui ei imminebat, denunciavit, et Tertulianus *lib. de Anima cap.* 57. Auctor Questionum Vet. et Novi Test. quaest. 27. et Auctor de Mirabilibus Scripturae, qui liber uterque falso S. Augustini nomen gerit, et S. Basilius *in Jerem. cap.* 8. et S. Gregorius Nyss. *in epist. ad Theodos. episc.* pluresque alii censuerunt speciem tantum fuisse Samuelis, ope praestigiarum effictam per daemonem, et sub qua specie, et forma Samuelis daemon ipse rem egerit. At vero narratio sic tota instituta est, ut nuspiam aliquod fiat indicium, Samuelem, qui apparuisse, et locutus esse scribitur, et cujus verba ad Saulem referuntur, non fuisse Samuelem vere, sed tantummodo ejus larvam. Deinde verae ejus apparitioni suffragatur etiam Ecclesiasticus C. 46. v. 23. Qui cum Samuelis virtutes commemorasset, et praeclare facta, sic deinde de eodem ultra continuavit sermonem : *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Nam cum is, cujus prius laudes celebraverat, et quem dormivisse, hoc est, mortuum esse dixit, vere fuerit Samuel, de eodem autem continuetur sermo, quod notum fecerit regi, et finem vitae ei ostenderit, vocemque suam de terra exaltaverit in prophetia de impietate gentis delenda, id, quod futurum erat per cladem, in qua periit Saul, et quam in vicem suae impietatis subierunt etiam Hebraei; sequitur ex contextu orationis, hunc, qui post mortem apparuerit, et Sauli finem vitae denunciaverit, ipsum etiam fuisse Samuelem vere. Qui ergo ex Patribus aliter senserunt, istos fugit hoc Ecclesiastici testimonium: quemadmodum idem etiam S. Augustinum, cum ejusdem sententiae fuisset, permovit in libro de Dulcitii octo quaestionibus, ad hanc revocandam, et agnoscendam veram Samuelis adpa-

ritionem: quae etiam S. Gregorii Naz. orat. 3. S. Ambrosii in Luc. cap. 1. et S. Hieronymi in Isa. cap. 7. sententia est. *Voluntate Dei*, ait S. Thomas 2. 2. Q. 174. art. 5. *ipsa anima Samuelis Sauli eventum belli praenunciavit, Deo hoc sibi revelante. — Nec obstat, quod arte daemonis hoc dicitur factum. Quia etsi daemones animam alicujus sancti evocare non possint, nec cogere ad aliquid agendum; potest tamen hoc fieri divina virtute, ut dum daemon consulitur ipse Deus per suum nuncium veritatem enunciet, sicut per Eliam veritatem respondit nunciis regis, qui mittebantur ad consulendum deum Accaron, ut habetur* 4. *Reg. cap.* 1. David Michaelis in suis adnotationibus ad hunc locum, dicit, hanc quasi adparentis Samuelis tantum per mulierem, ad quam Saul venerat pythonem habentem, totam fuisse adornatam scenam. Neque enim auctoritate Ecclesiastici, cujus liber est deutero-canonicus, movetur. Occultaverat autem se Saul coram hac muliere, quae hunc tantum tunc agnovit, quando Samuel jam adparuit, et quae proinde fictae personae, quam pro Samuele supposuerit, ut vult David Michaelis, ne dare quidem verba ad os potuerit, quae loqueretur scenice, et fierent apposite erga Saulem. Itaque Michaelis explicatio consuta sic est, ut nullatenus cohaereat cum re, prout eam refert Scriptura.

XV.

2. REG. 7. v. 12.

Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.

כי ימלאו ימיך ושכבת את־אבתיך והקימתי את־זרעך
אחריך אשר יצא ממעיך וכננתי את־ממלכתו: הוא
יבנה־בית לשמי וכננתי את־כסא ממלכתו עד־עולם:

Postquam David arcam foederis deferendam curasset in civitatem David, statuit etiam templum Deo aedificare. At vero Nathan propheta, a Deo missus, haec ad eum verba fecit: *Haec dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel: et fui tecum in omnibus, ubicunque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua, fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius, nec addent* filii

filii iniquitatis, ut affligant eum sicut prius, ex die, qua constitui judices super populum meum Israel; et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, praedicitque tibi Dominus, quod domum tibi faciat Dominus. Domum facere significat Scripturae phrasi posteros tribuere. Deut. 25. v. 9. Gen. 16. v. 2. Ruth. 4. v. 11. Et num post id tempus, sic Israeliticus populus in incolumi statu suo semper perstitit, ut turbatus in eo numquam sit? Vt omittamus omnia alia bella adversa, tantum cogitetur, quod expertum regnum Juda sit sub rege Ezechia per Sennacheribum 4. Reg. 18. v. 13. per Nabuchodonosorem, qui urbem ipsam Jerusalem, et templum evertit, et eos, qui superstites ex gladio, et fame erant, admodum pauci, in captivitatem abduxit, 4. Reg. 25. v. 1. et subseqq. et per Antiochum Epiphanem, 1. Machab. 1. v. 22. et subss. sique turbandi numquam erant, quomodo illorum etiam postea per Romanos dissipari, funditusque everti potuit regnum? quod instaurare numquam potuerunt, nec instauraturi unquam sunt juxta Danielis Cap. 9. v. 27. prophetiam.

Clarum itaque est, aliquo ulterius hanc promissionem divinam pertinere. Etiam vero Isaiae 52. v. 1. ad Jerusalem dicitur: *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriae tuae Jerusalem, civitas Sancti: quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus*, et perpetua pax, atque securitas promissa Jerosolymae est etiam Isa. 2. v. 4. Cap. 11. v. 9. itemque Psal. 71. v. 7. abundantia pacis, donec auferatur luna, et in innumeris aliis locis, ubi de Christo sermo est, et de bonis, quibus Dei populus cumulandus per illum sit. Ex quo perspicuum fit, quo haec etiam referantur, quae fuerunt in hoc Nathanis nuncio ad Davidem. Et post Christumne is etiam Israeliticus populus, de quo S. Paulus dicit: *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae*

Gal. 3. v. 7. pacem istam assecutus est ; dicente ipso Christo : *Non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. 10. v. 34. dumque numquam non Ecclesia jactata innumeris adversitatibus est, et immanes hostes pertulit? *Per fidem* vero *ambulamus, et non per speciem* 2. Cor. 5. v. 7. et *spe* tantum adhuc *salvi facti sumus* Rom. 8. v. 24. Ergo haec pax etiam promissa per Christum, et numquam turbanda requies quo spectet, et quando, atque ubi tribuenda sit, intelligi potest.

Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Haec ultima verba : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*, sic adducit S. Paulus Hebr. 1. v. 5. ut doceat, esse haec dicta a Deo ad Christum, et quibus verbis is erga nullum ex ipsis Angelis usus aliquando sit. Istud ergo semen, quod Deus se Davidi suscitaturum dixit, et iste ejus filius, qui templum Deo aedificaturus erat secundum hoc per Nathanem datum Davidi promissum, et cujus Deus thronum stabilem facturus erat usque in sempiternum, est Christus. Sic enim etiam est Psalm. 131. v. 11. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* : quod iterum pertinere ad Christum docet S. Petrus, dicens, ipsum etiam Davidem, cum propheta esset, scivisse Deum illi jurasse, Christum de fructu lumborum ejus sessurum super ejus thronum. Act. 2. v. 30. Atque hoc etiam est, quod Gabriel angelus Mariae dixerat de eodem, quem paritura erat Christum : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Luc. 1. v. 32.

At vero vi hujus, quod Davidi nunciatum a Deo, et expositum per Nathanem prophetam est, et David mandatum Salomoni dedit de aedificando templo allegans haec ipsa verba de aedificando templo, per ejus hunc filium, quem suscepturus, et cui Deus in patrem, isque Deo in filium futurus esset, 1. Paral. 22. v. 9. et Salomon ipse opus hoc aedificandi templi suscepit, perfecitque. 3. Reg. 5. v. 5. Cap. 8. v. 18. Ergo haec Dei praedictio, et promissio facta Davidi, pertinuit etiam ad Salomonem, non ad solum Christum, atque de utroque hoc sonuit. Nec ipsum Davidem fugisse, quamvis vi istius promissionis Salomoni mandaverit opus aedificationis templi, pertinuisse vaticinium hoc ad Christum, jam supra testimonio S. Petri declaratum est, idemque ex ipsius etiam Davidis precatione manifestum fit, qua usus deinde est erga Deum in templo ad gratias ei agendas pro his, quae ei Deus per Nathanem spoponderat. *Quis ego sum,* inquit, *Domine Deus, et quae domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. Ista enim est lex Adam Domine Deus!* V. 18. Quae verba ultima: *Ista enim est lex Adam Domine Deus!* sic sunt 1. Paral. 17. v. 17. *Et fecisti me spectabilem super omnes homines Domine Deus!* pressius juxta Hebraeum: *Et respexisti me secundum legem hominis illius altissimi Domine Deus!* a) Nam homo iste altissimus fuit Christus, de quo fuit lex, id est, Dei statutum, ut in mundum veniret. Itaque juxta hocce Dei statutum David confitetur, se a Deo respectum esse, utpote quem elegerit, et cui promissionem fecerit de homine hoc altissimo ex illo nascituro. Parum ergo hoc visum fuisse

a) וּרְאִיתַנִי כְּתוֹר הָאָדָם הַמַּעֲלָה יְהוָה אֱלֹהִים

Deo, dicebat, quod is Davidem eousque adduxisset, hoc est, ad eum, in quo jam tum erat statu regiae dignitatis, perduxisset, nisi de duratione etiam domus ipsius in longinquum, hoc est, in omne aevum, secundum id, quod Deus decreverat de Christo, hujusque sempiterno regno, locutus ei fuisset, promissumque fecisset.

Ex quo itaque sequitur, haec Dei verba, quae a Nathan propheta allata sunt ad Davidem, ita de Salomone sonuisse, ut ista tamen per hunc, veluti typum Christi, quem aedificatione templi, et pacifico suo regno adumbraverat, referrentur ad antitypum Christum, qui Deo exstruxit domum, quae est Ecclesia. 1. Timoth. 3. v. 15. Atque hoc est, quod ista: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* S. Paulus asseveret, nec Angelorum alicui esse a Deo dicta. Siquidem horum verborum tantum umbra ad Salomonem pertinuerit, res vero ipsa ad Christum: neque aliter prolata de Salomone sint, quam quatenus Christi typicam personam gereret. Nam si haec: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* non per solam umbram, verum plene ad Salomonem pertinuissent, et filii Dei per gratiam, profecto etiam sint Angeli, et Salomone in excellentiore etiam gradu propter uberiorem, et ampliorem gratiam; non potuisset a S. Paulo dici, ista: *Ego ero ei in patrem* etc. nulli Angelorum esse a Deo dicta. Ideo vero soli Christo sunt dicta a Deo, quia solus Christus est filius Dei, quem Deus ex natura sua genuit sibi aequalem, et ejusdem secum substantiae, non quem tantum gratuito dono sibi adoptaverit filium.

Hoc ergo est, et huc etiam spectat ad hanc promissionem de Christo, quod V. 10, 11. Deus Davidi spopondit de loco, in quo populum suum Israel sic firmiter collocaturus sit, ut non amplius, quemadmodum prius, affligatur per filios iniquitatis, atque ut requiem habeat ab omnibus inimicis suis, ipsiusque Davidis regia

domus perstet fideliter. Nam et illa promissio, quae data est populo Israel de liberatione ab omni hostili adversitate, pertinet, ut jam demonstratum est, ad eum Israeliticum populum, qui per fidem sunt filii Abrahae, et quod Davidi de stabilitate regiae illius domus Deus spopondit, spectat etiam ad Christi regnum, quod erit sempiternum. Nec aliter iterum haec eadem et illi Israelitico populo veteri, et Davidi data sunt promissa, quam quod ille populus, quem Deus in suum assumpsit populum ex Abrahae posteris, adumbraverit hunc Dei populum per fidem, et David quoque in dignitate sua regia typicam imaginem gesserit Regis Christi, cujus regnum est Ecclesia, hic in hoc mundo per fidem ambulans in peregrinationis statu, in caelo autem jam in requie, et affluentia omnium bonorum, omne in aevum duratura. Hoc est etiam, quod Gabriel angelus Mariae dixerit, Christum, quem paritura esset, thronum Davidis patris sui accepturum a Deo, et regnaturum in domo Jacob in aeternum, eo, quod Davidis thronus, et regnum regni Christi typus fuerit, regnique Davidis typicum nomen ad regnum Christi designandum sumptum sit, quemadmodum etiam domus Jacob, pro iis posita est, qui per fidem filii Abrahae sunt, pertinens ad Dei populum, cujus rex Christus est; et quod etiam Jerusalem, et Sion, ubi sedes fuit regni Davidis, sumantur apud Prophetas passim ad designandam Christi Ecclesiam, ejusque regnum, etiam in caelo gloriosum, atque ipsius etiam Davidis nomine Christus designatus sit. Jerem. 30. v. 9. Ezech. 34. v. 25. Oseae 3. v. 5.

Perinde, quae ulterius adhuc Nathan attulit Davidi, eique annunciavit, in eodem tenore de Christo sunt. *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea: et fidelis erit*

domus tua, et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Nec de hac firmitate throni Davidici jugiter et in perpetuum, necesse est facere quempiam attentum, quando ignotum nemini est, hunc thronum Davidis jam statim post Salomonis mortem in Roboamo, Davidis nepote, esse imminutum vehementer, eique ablatum ex maxima parte; nec post Sedeciam, regem ultimum Juda, ab annis 2300 aliquid terrestris regiae dignitatis in posteris Davidis, uspiam supersit. Istud: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum*, quomodo etiam de Christo dictum est, Psalmus 88. v. 31. docet, ubi hoc idem sic expressum est: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Quod explicans S. Augustinus lib. 17. de Civ. Dei cap. 9. *Ideo*, inquit, *in libro Regnorum iniquitas ejus* (Christi) *dicitur, Psalmo autem octogesimo octavo filiorum ejus, ut intelligamus de ipso dici quodam modo, quod de ejus corpore dicitur.* Etiam Psal. 21. v. 31. semen Christi vocantur credentes, utpote cujus gratia generati, et filii Dei facti sint, *Semen meum serviet ipsi, et creati in Christo Jesu* dicimur, Eph. 2. v. 10. In eodem Psalmo 88. tam istud, quod modo productum ex illo est, quam etiam cetera, quae sunt in hoc loco libri secundi Regum, quem modo tractamus, nequidem de Salomone dicuntur, sed de ipso Davide: illa vero ratione, qua etiam de Abrahamo dictum est: *In te benedicentur omnes nationes terrae* Gen. 12. v. 3. c. 18. v. 8. quod tamen erat de Christo. Gen. 22. v. 18. Gal. 3. v. 16.

XVI.

4. REG. 2. v. 11.

Cumque pergerent (Elias, et Eliseus) et incedentes sermocinarentur, currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et adscendit Elias per turbinem in caelum.

וַיְהִי הֵמָּה הֹלְכִים הָלוֹךְ וְדַבֵּר וְהִנֵּה רֶכֶב־אֵשׁ וְסוּסֵי
אֵשׁ וַיַּפְרִדוּ בֵּין שְׁנֵיהֶם וַיַּעַל אֵלִיָּהוּ בַּסְּעָרָה הַשָּׁמָיִם׃

Quae in libro tertio, et quarto Regum referuntur ab Elia, et Eliseo prophetis patrata miracula, amplissimum novis Interpretibus dederunt campum suum in his ingenium exercendi, quonam modo haec omnia facta sint naturali ratione. Inter haec est etiam currus, et equi ignei, quibus narratur Elias raptus esse in caelum. Hoc Eichhornius Bibliothec. Tom. 4. pag. 216. sic explicat; ut fiat phaenomenon pure naturale. Eliam videlicet se se ex consortio hominum subtraxisse, et aliquo in desertum locum abdidisse, istudque esse, raptum fuisse curru, atque equis igneis, et esse nonnisi rem stilo expressam poetico cum magna libertate poetica. Dum nulla vel specie veri potest dicere, morem hunc fuisse loquendi stilo poetico in opere historico, qualis est liber hic quartus

Regum, tamen habet in promptu Eichhornius, aliud stili poetici subsidium, ut verbis affingat, quem ipse vult, inusitatissimum sensum. Quia videlicet historici libri soleant scribi cum additamentis rerum ad narrationem, quae fictae tantum sint historici ingenio! David Michaelis in adnotationibus suis ad hunc locum, et juxta hunc Jahnius *in Introd. in lib. V. F.* (*Germ.*) §. 53. Eliae igneum currum, et equos per tempestatem fulmineam, et turbineum vorticem venti censet commodissime explicari posse, cujus vi raptus Elias, fulmineque discerptus sit, aut alio saltem deportatus. Credo, nemo existimabit necessarium, ut, quae isti suo tantum ingenio adstruunt adversus sensum, qui usitatus est verborum, et suo pruritu licenter sentiendi portenta interpretationum pepererunt, refelli debeant. Rem tamen consideremus, et adparebit, ne naturale quidem fuisse, quod concinnarunt velut naturale. Ille tam vehemens turbo, qui Eliam in altum sustulit, et abripuit, tamen Eliseum cum eo gradientem, intactum reliquit. In quo turbinis vortice fuit Elias, in hoc certe etiam fuit pallium, quo Elias amictus fuit. Elias tamen abreptus est, pallium illius, pace istius turbinei vorticis, dimitti ab Elia, et cadere ante Elisei pedes potuit. Est deinde diserte 4. Reg. 2. v. 1. Deum levare voluisse Eliam per turbinem, et hujus levationis causa Eliam ivisse ad locum, ubi deinde levatus est, idemque futurum etiam Eliseo, et filiis prophetarum, qui erant in Bethel, et Jericho, divinitus monstratum esse. Qui in ipsis miraculis finem semper videre volunt, quis Deo fuerit, et secus ista nolunt concedere, esse miracula, dicant ergo, cur Deus Prophetam, tam sibi probatum, mittere voluisset eo, ubi turbo futurus erat, quo ei pereundum esset? Ejusmodi casus, et tam violenta mors etiamsi David Michaelis, quo suam fulciat interpretationem, sibi quoque dicat futuram desiderabilem, fuisset tristis: quales mortes in

Scriptura impiis in poenam scelerum, leguntur inflictae. Exod. 14. v. 27. Num. 16. v. 31, 35. 1. Reg. 6. v. 19. 2. Reg. 6. v. 7. etc. Elias vero etiam in praemium zeli sui, et ingentis fervoris pro Deo praedicatur 1. Mach. 2. v. 58. receptus esse in caelum. Perinde Ecclesiasticus C. 48. v. 9. inter virtutum ejus merita, et laudum praeconia memorat, esse receptum caelo.

Ergone citra mortem Elias, et una cum corpore evolavit ad caelum? Venturum adhuc Eliam in mundum, est demonstratum ab ipso Christo. Matth. 17. v. 11. Praecurret autem Christi adventum ad judicium, in fine mundi habendum. Malach. 4. v. 5. Ante quod idem judicium comparituros duos testes, ut poenitentiam praedicent, est Apoc. 11. v. 3. Ad quam poenitentiam gentibus dandam cum etiam Henoch translatus in paradisum sit, Eccli. 44. v. 16. intelligitur, Eliam quoque hunc in finem ablatum esse, nec aliud hoc esse caelum, alicubi extra hunc mundum, quam is locus, qui in narratione de Henocho, dictus paradisus est. Neque enim terrestris ille esse potest, cum jam non exstet. Servantur ergo adhuc in corpore, nec cursum vitae suae temporalis jam perfecerunt, qui ante finem mundi adhuc comparebunt in corpore suo, et tunc tantum mortem, quae constituta omnibus hominibus est, oppetent. Apoc. 11. v. 7.

De aliis prodigiis per Eliam, et Eliseum patratis Jahnius sic scribit Introduct. in Lib. V. F. (Lat.) §. 53. *In historia Eliae, et Elisei, occurrunt quaepiam miracula, quorum nequaquam insignis ille scopus aliorum miraculorum* 1. *Reg.* 18. quo ignis divinitus accensus in Carmelo monte est in altari ad preces Eliae 2. *Reg.* 5. quo Naaman Syrus lavando in Jordane liberatus a lepra est, *magnus, et Deo dignus apparet.* Nisi igitur Jahnius iterum finem perspiciat, et eo judice is Deo dignus sit, miraculum non erit? *Eventus fuisse*

mere naturales, qui diuturniore traditione orali propagati, et adjunctis mirabilibus exaggerati fuerint, vix adducor, ut credam, propterea, quia auctor alias ex scriptis coaevis documenta haurit, et quia illam famem 1. *Reg.* 17. *v.* 1. *C.* 18. *v.* 1. *et pluviam, per Eliae orationem impetratam, memorat quoque Menander apud Josephum Archaeol. VIII.* 13, 2. *etsi siccitatem ad unicum annum restringat, et pluviam orationi Ithobali regis Tyriorum tribuat.* Si haec, de quibus locutus est miraculis, vix adducitur Jahnius, ut credat, eventus fuisse mere naturales, ergo haec tamen certa non habet miracula. De quibus enim dicit, se vix adduci, ut credat fuisse mere eventus naturales; de iisdem tamen, dicendo vix, indicat, sibi plene persvasum non esse, vera esse miracula. Attamen inclinat magis in eam partem pro miraculis, quia auctor librorum Regum alias suam historiam ex coaevorum scriptorum monumentis hauriat, et Menander siccitatis illius mentionem faciat, quae facta est divinitus ad preces Eliae. Ergo nisi Menander, scriptor Gentilis, esset, qui suo testimonio suffragetur auctori librorum Regum, istique ignoti scriptores essent, ex quibus hausisse sua eumdem existimandum sit, iste per seipsum fidem non faceret? Vbi ergo divina est auctoritas, et quid huic tribuit Jahnius, quam libris inesse canonicis fide Catholica profitemur?

Ast possent quaepiam, quae referuntur mirabilia, quin verbis vis inferatur, naturali modo exponi. Sic pergit ulterius Jahnius, et quae etiam miracula aliquatenus concessit, tamen deinde evertit. Sunt autem ista, quorum deinde loca tantum in Latina editione indicat, in Germanica autem ipsa etiam miracula memorat. Primum est de corvis Eliae afferentibus quotidie carnes, et panem mane, atque vesperi. 2. Reg. 17. v. 6. Quod

naturali modo docet exponi posse, si pro *Orebim* a) *Corvi* legatur *Arbim* b) *Arabes.* Quam explicandi rationem jam ante Jahnium etiam a quibusdam Germanis assumptam post eos, qui apud Kimchium sic hoc vocabulum pro mercatoribus, qui Eliam sustentaverint, acceperunt, nec David Michaelis probat. Nam ab Achab rege Israel sic quaesitum esse Eliam, ut non fuerit gens, et regnum, quo non misisset ejus exquirendi causa, 3. Reg. 18. v. 10. nec consciis tam multis, si promiscue ab Arabibus accepisset victum, in occulto manere potuisse spatio unius anni, quo ibi latitavit. Aliam explicationem dat deinde David Michaelis, quomodo hac in re nullum fuerit miraculum. Eliam corvis ademisse praedam, quam vel portabant ad nidos, suosque foetus alendos; vel eas, quas venabantur feras ad illum rivum venientes, ubi morabatur Elias, postquam rostris, ut facere soleant, earum effodissent oculos. Sic vero Elias tantum etiam carnes accepisset, non autem panes. Quos tamen etiam ei a corvis allatos esse, Scriptura loquitur. Et hocne propterea contigisset quotidie semper mane, et vesperi? et istudne significant verba: *Corvi attulerunt Eliae carnes, et panem,* juxta morem usitatum loquendi? Dum hi novi interpretandi artifices omnia pervertunt, vocibusque, et dictionibus a se tantum fictas notiones, et significationes indunt, tamen usum loquendi prae se ferre solent, cujus sint in interpretando assertores etiam, et vindices.

De puero, a morte suscitato in Sarepta Sidoniorum per Eliam 3. Reg. 17. v. 22. et altero puero, filio mulieris Sunamitis, per Eliseum ad vitam revocato 4. Reg. 4. 20—35. etiamsi, inquit Jahnius, istos, quispiam nolit habere pro mortuis in speciem, tamen vix futurum

---

a) עֹרְבִים b) עֲרָבִים

aliquem, qui eum mortuum, qui 4. Règ. 13. v. 21. projectus ad sepulcrum Elisei, revixit, non sit habiturus pro mortuo tantum in speciem, quique sibi redditus per succussionem ex gravi illo casu sit. Atqui omnes tres hos Scriptura testatur fuisse mortuos, et revixisse. Quomodo ergo dicere potest, quod si quis duos illos pueros nollet credere tantum in speciem mortuos, tamen vix sensurum quempiam aliter de eo mortuo, qui in Elisei sepulcrum projectus revixit? Nempe, dum Scriptura dicit, hos fuisse mortuos, tamen mortuos esse, non significat Jahnio, nisi in speciem mortuos. Dat verbis sensum, qualem vult. Prima, et summa lex interpretandi est Jahnio usus loquendi. Supra Regul. Interp. Cap. 2. §. 9. Mortuum itaque esse, juxta usum loquendi, est tantum in speciem mortuum esse! Quid erit in Scriptura sacra, quod non isti homines sic in quemcumque voluerint, vertere possint sensum?

Sed videamus etiam cetera, quae adhuc sic naturali ratione explicat miracula, ne credi debeant miracula. Est. 4. Reg. 6. v. 5. cuidam ex filiis prophetarum, dum ligna caederet, excidisse ferrum e manubrio securis, et incidisse in Jordanem. Eliseus *praecidit lignum, et misit illuc*, quo videlicet ferrum inciderat: *natavitque ferrum*. Hoc autem Jahnius sic facit naturale: Eliseum dicit, fecisse perticam, qua ex fundo elevaverit ferrum securis. Et hoc ne est, natasse ferrum? Adhuc audacius de militibus a Syriae rege missis ad comprehendendum Eliseum, et quos Scriptura refert caecitate fuisse ab Eliseo percussos, sicque ductos in urbem Samariam 4. Reg. 6. v. 18. hoc quidem, inquit certe non factum per miraculum est: sed caecitatem, qua, ut Scriptura refert, affecti subito sunt, iterumque liberati, idque tantum ad Elisei preces Deo fusas, asserit, significare non aliud, quam quod ignota istis militibus fuerit urbs Samaria, quamque Eliseus ipsis ostenderit. Bellum vero fuit inter

Israelitas, et Syros, Syriaeque rex idcirco capere, et abducere voluerat Eliseum, quod ejus omnia consilia, sibi divinitus revelata, indicasset regi Israel. Samariam ergo hi Syri milites nec ire, nec videre voluerunt. Quo etiam cum perducti per Eliseum essent, occisi ab rege Israel fuissent, nisi Eliseus obstitisset. Vt Dei miracula sufferat Jahnius, in horum locum sua substituit commenta, et portenta interpretationum.

XVII.

JOB. 19. v. 23.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo.

מי־יתן אפו ויכתבון מלי מי־יתן בספר ויחקו: בעט־
ברזל ועפרת לעד בצור יחצבון: ואני ידעתי גאלי חי
ואחרן על־עפר יקום: ואחר עורי נקפו־ואת ומבשרי
אחזה אלוה: אשר אני אחזה־לי ועיני ראו ולא־זר
כלו כליתי בחקי:

In his voculis: *Vel celte*, varietas est lectionis, et Latini tam editi, quam manuscripti codices alii isto modo, quo est in Vulgata *Celte* habent, alii autem *certe*. In Hebraeo autem fonte horum neutrum est, sed est *Lahath*, a) *in aeternum*. Quae eadem lectio fontis Hebraei confirmatur etiam per versionem Septvaginta: εἰς τὸν αἰῶνα, quod pariter significat *in aeternum*, et per Chaldaeum quoque, Arabem, Syrum. Qua ratione orationi major etiam accedit vis. Quos enim sermones suos Job desideraverat scribi in libro, et incidi plumbo, vel saxo, hos ita insculptos, vel incisos intelligitur voluisse exstare in perpetuum. Quidnam autem sic scribi voluisset, ex verbis Jobi subsequentibus patescit. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit* etc. *Nullus tam aperte post Christum*, ait S. Hieronymus in epist. ad Pammachium, *quam iste ante Christum de resurrectione loquitur.* S. Augustinus quoque *lib.* 22. *de Civ. Dei. cap.* 29. et nobilissimi quique interpretes Jobum hic de resurrectione sua a morte locutum, atque hanc confessum esse, intellexerunt.

Grotius, ut amat novarum interpretationum, et sententiarum auctor haberi, adstruxit in sua interpreta-

---

a) לעד

tione, Jobum hic non de resurrectione sua a morte, sed tantum de valetudine sua, quam recuperaturus esset, cujusque sibi certam spem fecerit, locutum esse. Quam assertionem suam in eo fundavit, quod Judaei in suis libris nuspiam reperiantur usi esse hocce documento ad probandam a morte resurrectionem. Quod tamen falsum est. Nam hunc sensum de resurrectione expressit Thargum, Arabs quoque interpres, qui pariter fuit Judaeus. Sic etiam istud sumpsit R. Haccadosch *in Revelante arcana*, et Samuel Marrochianus *Epist. ad Isaacum Israelitam;* etiam in *Bereschith Ketanna* sumitur de resurrectione futura mortuorum. Grotius autem inde etiam sententiam suam confirmare voluit, quod hoc: *Et in novissimo die, de terra surrecturus sum,* sic aliter sit in Hebraeo: *Et novissimus super pulverem stabit* a) quodque nexum sit cum *Redemptor meus* b) de quo sermo antecessit, atque de hoc sonet. Verumque est, istud sic presse esse in Hebraeo. Attamen sensus idem etiam in Hebraeo cum eo est, quod latine versum verbis tantum, non re aliter est. Nam cum Job dixisset, scire se, quod Redemptor ejus viveret, quique novissimus super pulverem staturus sit, explicans, quid secuturum hinc sit, *Et rursum circumdabor*, inquit, *pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Quod verò non de recuperatione valetudinis, sed tantum de revocatione ad vitam a morte intelligi potest. Neque enim exutus per illam infirmitatem pelle sua est, id, quod V. 20. clare ipse Job de se dixerat: *Pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum*, ut revalescens ista rursus circumdari posset; neque si valetudinem recepisset, poterat dicere, se in carne sua visurum Deum suum, quae divinae visionis sors tantum beatis in caelo reservata est. Exod.

---

a) וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם b) גֹּאֲלִי

33. v. 23. 1. Joan. 4. v. 12. Sed nec spem sibi Job fecerat recuperandae valetudinis, qui Cap. 17. v. 1. sic de se locutus est: *Dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum,* rursumque ejusdem C. 17. v. 15. *Vbi est ergo nunc praestolatio mea, et patientiam meam quis considerat? In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Istaque dicebat, cum eum amici spe valetudinis recuperandae demulcere voluissent, si in disputando contra se victoriam illis cessisset, et quos idcirco etiam hujus Cap. 19. v. 21. obsecravit, ut saltem ipsi misericordia erga eum moverentur, et ne molestis sermonibus graves ei essent, dum manus illum Domini tetigisset: a qua si levamentum sperasset in hoc mundo in hoc se fixisset; non hoc modicum lenimen ex amicis quaesivisset. Sed cum salutis in hoc mundo jam spem deposuisset omnem; ad eam se unam vertit, quam positam habebat in exspectatione ejus vitae, ad quam ex morte suscitandum se sciret. Atque hoc est, quod futurum dixerat, ut Redemptor illius, quem sciret vivere, novissime, et extremo mundi tempore, staturus super pulverem ejus esset, ad ipsum videlicet ex eo suscitandum et unde deinde secuturum sit, ut pelle sua iterum circumdetur, inque carne sua Deum conspiciat, quando post illam universalem omnium hominum a morte ad vitam revocationem Justi in suis etiam corporibus Dei visione, et sempiterna beatitate perfruentur. Stare itaque super pulverem significat, hocce pulvere superiorem fieri, victoriam reportare. Quomodo etiam sic Jos. 7. v. 13. hoc *Stare* sumitur: *Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare coram hostibus tuis,* perindeque sic S. Paulus, locutus est de redemptore Christo, dum hanc mortuorum omnium suscitationem ad vitam novissimo mundi tempore facturus est: *Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. — — Cum autem mortale*

hoc

hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? 1. Cor. 15. v. 26, 54.

Attamen Jahnius *Introd. Part. II. in lib. V. F.* §. 191. de his verbis Jobi non dubitavit tale suum judicium depromere: *Locus celebris Job* 19. *v.* 23—27. *salvo usu loquendi*, sunt ipsius verba, *et consilio auctoris, de resurrectione mortuorum explicari nequit: sed votum, et spem exprimit, Deum in hac vita testaturum esse Jobi innocentiam. Qui opponunt, Jobum hac ratione secum ipso pugnare, qui saepius repetit, sibi non restare nisi mortem, non observant, hujusmodi dissensum indoli aegroti queruli prorsus convenire.* Ipse vero etiam David Michaelis, quem sententiarum suarum ducem praecipuum habet: sed quem in hoc loco deseruit, Jahnium refellit, affirmans (in Adnotat.) se se haec Jobi verba aliter intelligere nescire, quam de spe vitae post mortem futurae. Sique alii, (hique vulgo admodum mediocri cognitione lingvae Hebraeae praediti) ista de reditu melioris sortis in hac adhuc vitâ explicent, debere istos non tantum vim summam inferre verbis, sed etiam Jobum sibi contraria loquentem facere, idque in eo, quod caput fuit disceptationis cum amicis: qui toties professus sit, sibi in hac vita nullam melioris sortis spem superesse. a) Quem vero usum loquendi tantum Jahnius venditat, sed non

---

a) Ich weis diese Worte, sunt illius verba ad hunc locum Jobi, nicht anders zu verstehen, als von der Hoffnung eines zukünftigen Lebens nach dem Tode. Wenn andere (gemeiniglich sehr mittelmässige Kenner des Hebräischen) sie so auslegen, dass Job noch in diesem Leben die Widerkehr eines bessern Glücks erwarte, so müssen sie nicht nur den Worten die äusserste Gewalt anthun; sondern auch Job in dem Bekänntniss, dass er der Nachwelt aufgehoben wissen will, allen seinen

probat, jam supra demonstravi, non istum Jahnii esse, sed illum de se post mortem resuscitando ad vitam. Infirmorum vero querulorum est solummodo, semper queri suos dolores, quos ferunt, non dissona, et contraria loqui: quin etiam hi vel maxime easdem semper querimonias repetunt de dolore, qui ipsos premit, pertinacissimique in his perpetuo recanendis sunt. Nec ista indoles fuit etiam Jobi. Nam si querulus fuisset, laus patientiae, quam habuit semper, ut in exemplum etiam patientiae, proponatur ab ipsa Scriptura, Job. 2. v. 12. Jac 5. v. 11. ei non conveniret. Nam qui queritur, huic aequanimitas ad ferendum dolorem deest.

---

vorigen Reden widersprechen lassen, und das in der Hauptsache. Denn darüber war ja eben der Streit mit seinen Freunden entstanden. Id, quod pluribus adhuc postea verbis declarat.

XVIII.

PSALM. 2. v. 6—8.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus praedicans praeceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

ואני נסכתי מלכי על־ציון הר־קדשי : אספרה
אל־הק : יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך :
שאל ממני ואתנה גוים נחעתך ואחזתך אפסי־ארץ :

In versiculo sexto sic se habere debet versio Latina facta presse: *Ego autem unxi regem meum super Sion montem sanctum meum. Praedicabo statutum*, legem. In cujus versiculi anteriore parte cum Deus locutus esset, in altera jam loquitur is, quem Deus dixerat, a se unctum regem esse super Sion montem sanctum suum. Ejusdem hujus Uncti verba deinde sunt: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu* etc. Docet vero S. Paulus ad Hebr. 1. v. 5. hoc ita a Deo dictum esse ad Christum, ut idem istud nemini Angelorum dixerit. Vnde consequens esse, neque homini cuipiam, praeterquam

Deo homini Christo, esse dictum hoc a Deo, jam supra ad locum ex 2. Reg. 7. v. 12. demonstratum est. Ex quo solo jam patescit, sonare haec Psalmi istius secundi verba de Christo, adeoque in hocce Psalmo cani Christum. Sed idem etiam hoc clarum fit ex aliis testimoniis ejusdem Apostoli. Cujus iterum haec sunt verba: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hebr. 5. v. 5. rursus: *Et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Act. 13. v. 32. Quoniam autem ex his verbis S. Paulus probavit Christi resurrectionem a morte, utpote ex qua excitatus statim post triduum sit, eo, quod fuerit Filius Dei, et quem idcirco impossibile fuerit, ut S. Petrus inquit Act. 2. v. 24. teneri doloribus inferni, neque vero ista hinc probari potuisset recte, nisi haec verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, omnino pertinerent ad Christum; consequens est iterum etiam hinc, eadem haec verba etiam in Psalmo secundo esse de Christo.

Super Sion autem, montem sanctum suum, Christum Deus unxit regem suum, Sionis nomine, in qua sedes erat Davidici regni, et ad quam etiam templum spectabat, quod Dei habitaculum fuit, et qui mons Sion idcirco sanctus vocatur, intelligendo regnum Christi, quod est Ecclesia, typico Sionis, et Davidici regni vocabulo: quemadmodum istud quoque jam demonstratum est supra ad locum 2. Reg. 7. v. 12, et unde etiam per Gabrielem angelum ad Beatam Virginem dictum de Christo est: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.* Luc. 1. v. 32. Hoc est, quod deinde ipse etiam Christus sic

in Psalmo hoc secundo loquens inductus sit: *Praedicabo statutum*, legem *illius*. Siquidem Christus novae legis nobis auctor, atque conditor sit. Et dum idem praedicat, Deum istud ad eum dixisse: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, in Psalmo hoc Christi canitur divinitas, aeternaque generatio ex Deo Patre, quae utpote aeterna, et aeternum durans, et praeterita, et praesens mansura semper sit. Qua ratione Christi aeternitatem S. Paulus quoque expressit per omnis temporis, praeteriti, praesentis, et futuri, juxta nostrum cogitandi modulum, conjunctionem. *Jesus Christus*, inquit, *heri, et hodie, ipse et in secula.* Hebr. 13. v. 8.

Ad hanc Christi divinitatem, ejusque ex Deo nativitatem pertinet hoc quoque Dei ad illum dictum, ut sibi peteret ab eo gentes in haereditatem, et terrae terminos in possessionem, et quos ei daturus sit, utpote, cui subjecta sint omnia, perinde ut Deo Patri, propter aequalitatem cum eo. Itemque cetera omnia, quae adhuc sequuntur in hoc Psalmo: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Istosne vero populos sic dicitur recturus, quos in haereditatem se ei daturum Deus dixit? non. Quomodo enim suos, quos diligit, sic haberet, sed de quibus antecessit: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt* a) *reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Hoc de Christo etiam Isaiae 11. v. 4. est: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium*, et Apocalypseos 19. v. 15: *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes: et ipse reget eas in virga ferrea.* Virga ferrea, b) Hebraeis significat

---

a) יִתְיַצְּבוּ *Se posuerunt ad resistendum.* b) שֵׁבֶט בַּרְזֶל

gladium. Testam facile est comminuere, nec quod testaceum est, si comminuatur, potest reparari. Hinc assimilatio quid significationis habeat, perspicuum fit. *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Ad illud vero, quod sequitur, ut Domino serviant, haec ad prudentiam dirigitur adhortatio: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam* juxta Hebraeum a) *Osculamini Filium.* Iste vero Filius intelligitur, de quo antecessit: *Filius meus es tu.* Osculum est reverentiae, et subjectionis erga regem signum. Nam et Samuel statim ut Saulem regem unxerat, hunc osculo veneratus est. 1. Reg. 10. v. 1. *Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa: cum exarserit in brevi ira ejus. Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Ex his, quae exposita sunt ex hoc Psalmo, intelligi potest, totum hunc esse propheticum de Christo, in quo regnum ejus praedicatur, istiusque extensio ad fines orbis terrarum, quae est Christi Ecclesia, et quamvis se se opposituri essent reges, et principes terrestres, atque omnes ubique terrarum populi. Sic psalmum hunc intellexerunt primi Christi fideles. Nam cum Petrum, et Joannem apostolos comprehendissent Judaei, quod ad miraculum, quo claudum hominem in Christi nomine curarunt, et pedum firmitatem tribuerunt, hominum se magna multitudo Religioni in Christum adjunxisset, et ideo Apostolos ultra Evangelium annunciare prohibuissent; hi primi Christi fideles sic, Deum precantes, locuti sunt: *Domine — qui Spiritu s. per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum ad-*

---

a) נַשְּׁקוּ־בַר

versus Dominum, et adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel facere, quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri. Act. 4. v. 25. Quin ipsi etiam Judaei confessi sunt, hoc: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Messiae esse dictum a Deo. Id, quod videre est in libro Thalmudis Sucah, apud R. Selomoh Jarchi, in Beresith Rabba, Tryphon in dialogo, quem cum eo habuit Justinus, Aben Ezra, David Kimchi, pluresque alii.

Post hanc tamen tantam consensionem ipsorum etiam Judaeorum, novi Interpretes nihil in hoc psalmo relinquunt, quod ad Christum, nisi fortasse per accommodationem, debeat referri: et tanto minus agnoscant illius divinam generationem, quae hoc in psalmo praedicetur. Ipse Jahnius certum non habet, pertineatne ad Christum, dum tantum dicit: *Videtur prospectus quospiam in Messiam exhibere*, cujus hanc sententiam jam produxi Part. II. Cap. 28. §. 140. tametsi S. Paulus testetur, verba, quae in hujus psalmi versiculo septimo sunt, esse a Deo dicta ad Christum, et qui ipsa haec verba etiam: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, tantum de inauguratione ad regiam dignitatem doceat intelligenda esse Enchiridii sui §. 39. Quae pariter ejus sententia jam producta est. Supra Regul. Interp. Cap. 2. §. 15. Quae tam Jahnii, quam aliorum idem sentientium opinio auctoritate S. Pauli refellitur, huic nulla alia opus est refutatione. Postquam David, jubente Deo, rex a Samuele propheta unctus est, non tantum Saul illum e medio tollere studuit, sed etiam post hujus interitum major Israelitici populi factio Isbosetho, Saulis filio adhaerens, Davidi adversabatur: deinde vero cum Sionem arcem cepisset, pulsis, atque ejectis inde Jebusaeis, tradit Josephus *lib.* 7. *Ant. c.* 4. Philisthaeos, Phoenices, Syros,

aliosque finitimos populos de eo opprimendo agitasse consilia, ne viribus posset invalescere, quem bellicosum, fortissimumque esse noverant. In hoc ergo statu rerum videtur psalmum hunc David cecinisse, et quasi de se, cujus tamen omnia spectarent ad Messiam, cujus typum in ipsa illa etiam gentium omnium adversum se conjuratione gerebat: uti simile exemplum jam etiam supra ad 2. Reg. 7. v. 12. Nro XV. fuit ex Psalmi 88. v. 21. et seqq.

XIX.

PSALM. 15. v. 8—11.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingva mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

שִׁוִּיתִי יְהוָה לְנֶגְדִּי תָמִיד כִּי מִימִינִי בַּל־אֶמּוֹט׃ לָכֵן
שָׂמַח לִבִּי וַיָּגֶל כְּבוֹדִי אַף־בְּשָׂרִי יִשְׁכֹּן לָבֶטַח׃ כִּי לֹא
תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל לֹא תִתֵּן חֲסִידֶיךָ לִרְאוֹת שָׁחַת׃
תּוֹדִיעֵנִי אֹרַח חַיִּים שֹׂבַע שְׂמָחוֹת אֶת־פָּנֶיךָ נְעִמוֹת
בִּימִינְךָ נֶצַח׃

Hunc totum Psalmi istius locum eum recitasset S. Petrus in concione, quam habuit ad ingentem Judaici populi multitudinem, sic deinde, hinc probaturus Christi a morte resurrectionem, locutus est: *Viri fratres*, inquit, *liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret, quia jure jurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi. Quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.* Act. 2. v. 29. Pariter S. Paulus Judaeis praedicans, et de Christi resurrectione loquens: *Quod autem*, inquit, *suscitavit eum a mortuis* (Deus) *amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Isaiae cap. 55. v. 3. est hoc: sensusque est, id, quod Davidi Deus promisit de Christo, ejus filio, hoc servaturum fideliter. *Ideoque et alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit* (Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη: *Namque*

David cum suae generationi ministrasset, estque generatio posita pro spatio, quo ejus vita terminabatur, quodque spatium cum implevisset, *Dei consilio dormivit*) *et adpositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.* Act. 13. v. 34.

Hinc manifestum est, Petrum, et Paulum haec psalmi istius verba, quae nunc tractamus, sic intellexisse de Christo, ejusque a morte resurrectione; ut utriusque asseveratione ad Davidem, qui hunc psalmum cecinit, ejusdem etiam utriusque Apostoli testimonio, nequidem spectare potuerit, siquidem corruptionem vidisse affirment. Est vero in verbis his: *Sanctum tuum*, et de quo Sancto in hujus Psalmi V. 10. est, non daturum Deum, ut videat corruptionem, quodque in Hebraeo est: *Chasidecha* a) difficultas. Siquidem videri possit Hebraicum esse in numero plurali, ut eum vocant, et quo pacto sensus esset: *Nec dabis Sanctos tuos videre corruptionem*: nec jam res spectaret ad unum Christum ejusque resurrectionem a morte. Siquidem hi Sancti, de quibus loqueretur generaliter Psalmus, omnes jam etiam resurgere a morte debuissent. Nec tamen istud *Chadisecha* sic etiam scriptum, quemadmodum exhibui, et quae nunc illius usitata lectio est in Bibliis, est omnimode numeri pluralis: in quo si esset, deberet esse vocalis *Segol* ubi est *scheva* b). Itaque secundum vocalia puncta est numeri singularis, secundum vero consonantes, potest videri numeri esse pluralis: e quibus *Jod*, ante suffixum pronominale *Cha*, nota solet esse numeri pluralis, utpote veniens e numeri pluralis terminatione. Nulla autem remaneret dubitatio, esse numeri singularis, si esset absque hocce *Jod*. c) David Michaelis, in sua

---

a) חֲסִידְיךָ b) חֲסִידֶיךָ c) חֲסִידְךָ

Collegio critico super hoc psalmo, istam ultimam debere esse lectionem veram, ipse etiam statuit, quod exemplaria habentia numerum singularem tribus partibus superarent numerum eorum exemplarium, quae consonantem *Jod* habent, notam numeri pluralis; deinde quod in his ipsis hocce *Jod* tantum positum sit ex reverentia erga Masoram: quae praecipiat, hoc Jod esse retinendum: quae tamen ipsa Masora etiam superfluum esse hocce *Jod* dicat. Pro hac in numero singulari lectione affert etiam versionem Septvaginta, Syriacam, Chaldaicam, Latinam Vulgatam, et S. Hieronymi, (quo etiam addere debebat Arabicam) in quibus omnibus sit numerus istius nominis singularis, insuper antiquos Rabbinos, apud quos aeque locus iste reperiatur in numero singulari: demum ex allegatione hujus per Petrum, et Paulum facta, sic argumentatur, ut asserat numquam istos allegaturos fuisse hoc testimonium pro Christo, ejusque a morte resurrectione, si quam objectionem ab Judaeis metuissent adversus suam ex hoc loco de Christi resurrectione probationem. Nullam ergo tum adhuc fuisse hoc in loco varietatem lectionis.

Idem tamen in Adnotationibus suis ad Act. Cap. 2. annis triginta post illud collegium suum criticum abjecit hanc de numero singulari sententiam, cum per Kennicottum, et de Rossi in pluribus, quam ducentis quinquaginta exemplaribus, horumque multis antiquissimis detecta, et producta esset altera numeri pluralis lectio: lectoremque suum ad de Rossi remittendo, confidenter pronunciat, ubi hunc consuluerit, non haesurum dubium quin Petrus, et Paulus hunc istius Psalmi principem locum, in quo fundarunt suam de ressurrectione Christi doctrinam, male allegaverint. Vbi ergo sunt illa tam certa, atque firma pro altera numeri singularis lectione argumenta ab ipso Davide Michaelis in collegio critico allata? Tamne facile dimoveri se passus est a pristina

sua sententia, quando ipse non dubitavit asserere, quotcunque essent exemplaria, habentia aliam numeri pluralis lectionem, facta esse tantum ex reverentia erga Masoram. Et erga Petrum, et Paulum nullane ducetur reverentia? Formidabile dicit fuisse antea, quidpiam adversus horum auctoritatem opponere. Sed jam istam evanuisse formidinem. a) Quibus passibus neoterica interpretandi ratio crevit in Germania, iisdem ipse etiam processit in sua interpretandi licentia.

Attamen tantum numerum exemplarium, habentium alteram pluralis numeri lectionem non censeo ipse etiam in Critica esse negligendum: eoque magis, quod etsi Masora literam *Jod*, de qua est controversia, censuerit superfluam esse, tamen retinendam esse statuerit. Et vel inde de his exemplaribus, quae carent hac litera *Jod*, debeat esse suspicio, omissam hanc tantum esse per librarios, quod sumendo nomen in numero plurali, difficultatem res pareret in contextu cum reliqua Psalmi oratione, quae tota unius, et pro se uno precantis Deum oratio est: unde norunt Critici, multa irrepsisse menda

---

a) Ipsius verba sunt: Ehedem hat man es als eine fürchterliche Einwendung gegen die Erklärung, die Petrus, und Cap. 13. v. 35. 37. Paulus von sechszehnten Psalm machen, angesehen, dass im Hebräischen *deine Heiligen* in der mehreren Zahl stehe, also nicht von Christo allein die Rede sey, sondern von den Heiligen Gottes überhaupt, die er schützet, oder doch von mehreren Heiligen: allein diese ist 1780. und 1787. völlig verschwunden, nachdem die Hebräischen Handschriften von Kennicot, und de Rossi verglichen sind. Remittensque suum lectorem ad *Varias lectiones veteris Testamenti* de Rossi a. 1787. Parmae editas nec dubitaturum ait, quin Petrus, et Paulus hunc istius Psalmi locum, in quo suae declarationis demonstrationem fundarunt, haud recte attulerint. Jahnium quoque, Michaelisium secutum, negasse, se posse hunc locum intelligere de Messia, perinde nulla motum auctoritate Apostolorum Petri, et Pauli, vidimus jam Part. II. Cap. 28. §. 140.

in Scripturae sacrae textum, dum huic iidem suas afferrent manus, suoque arbitrio jam resecarent, jam adderent, difficultates volentes tollere.

Ergone haec lectio, quae cum litera *Jod*, nota numeri pluralis est, alteri, quae singularem tantum numerum exhibet, et litera *Jod* caret, anteferenda videbitur? Quodsi vero sic est, etiam latine esse debebit: *Nec dabis sanctos tuos videre corruptionem*: et quo pacto verum fiet, quod est Davidis Michaelis, non de uno Christo esse hic sermonem, nec rite potuisse hinc probari per Petrum, et Paulum ejus a morte resurrectionem. Non autem istud sequitur: sed David Michaelis hoc vocabulum, de quo agimus, ideo, quod habeat literam *Jod* ante suffixum pronominale, censendo esse numeri pluralis, hallucinatus est, et post hunc pergens Jahnius, literam *Jod* non advertentes, qualis in hocce loco sit. Quamvis enim litera *Jod* sit nota numeri pluralis; haec tamen solet esse litera etiam pure tantum epenthetica: qualis hocce in loco est. Atque hoc est, quod nec vocalem eam habeat, quae in numero plurali ante suffixum *Cha* solet esse, et Hebraeis dicitur *Segol*. a) Atque hoc etiam est, quod Masora, quamvis haberet hoc nomen numeri esse singularis, tamen literam Jod etiam retinendam esse statuerit, quod ista etiam ratione cum Jod epenthetico recte scriberetur, ut passim literae cum aliae, tum praesertim eae, quae Hebraeis dicuntur Quiescentes, jam inseri voci, jam a fine adjungi soleant, et quo modo ab ipso Psalte scriptam esse hanc vocem, de qua agimus, judicaverint. Hoc est, quod et Graeca

a) Hujus exempla cum Segol חֲסִידֶיךָ, dum hoc numeri pluralis est, in ipsa etiam Scriptura sunt 2. Paral. 6. v. 41. Psal. 131. juxta Hebraeos 132. v. 9. Psal. 144. juxta Hebr. 145. v. 10.

Septvaginta versio, et versiones omnes aliae Orientales summa consensione vocabulum hoc in numero singulari intellexerint esse, et sic etiam in lingvam suam transtulerint, nec Hebraeorum Rabbini aliter statuant de hocce vocabulo, quam esse numeri singularis. Ergo non Petrus, et Paulus perperam hoc pro Christo testimonium adduxerunt; sed David Michaelis confundendo Jod epentheticum cum eo Jod, quae nota est numeri pluralis, lapsus est, et fortasse etiam voluntarie ex propensione in hanc partem male per Apostolos factae citationis ad enervandum eum sensum, qui cuique Christiano semper fuit certus, et indubitatus, antequam ista novae interpretationis emersissent lumina, quorum est, sua tantum libidine sentiendi bacchari per Scripturas. Si vel ad solum contextum attendere voluisset, dum, ut jam declaratum est, is, qui loquitur in hoc toto psalmo, Deum pro se precando ubique semper unicus sit, et ante hoc: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, sic in numero singulari antecesserit etiam proxime: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, et sic subsequens continuetur oratio: *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia*, vidisset profecto, istud *Sanctum tuum* numeri debere esse singularis, neque, quod respondet in Hebraeo, ei adversari.

Iste Psalmus Davidis est, ut hoc Davidis nomine testimonium etiam productum est a Petro, et Paulo apostolis. Contra quam tam apertam, et Apostolicae auctoritatis testificationem tamen hunc iterum David Michaelis sacerdoti cuipiam tribuit: quo pacto Davidi non maneret, qui sacerdos non fuit, ex tribu Juda oriundus. Sic Davidem Saul exagitaverat, ut cum securum vitae suae locum in patria non haberet, confugere jam ad Moabitas, jam ad Philisthaeos debuerit, et de quo Saule, ceterisque, qui ejus partes adjuvabant, David indignans, cumque detestatione etiam dixerat: *Maledicti sunt in*

conspectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in haereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. 1. Reg. 26. v. 19. Quo in statu, et extorris factus, negat tamen, aliam sibi extra Deum futuram haereditatem: nec se ullum consortium habiturum cum alienigenis, qui victimas immolant falsis diis. Vt autem typum gerens Christi, quemadmodum fuit etiam superiore Psalmo secundo, David quasi de se canens tamen de Christo canebat, quem sibi regem a Deo datum Judaei non receperint, et insectati eo usque sint, donec occidissent, quemque tanquam inutilem aedificio lapidem reprobaverint, Matth. 21. v. 42. sic etiam in hoc Psalmo ista jam deinde aeque canit, quae sunt, se non relictum iri in sepulcro, Hebraice *Scheol*, a) nec visurum corruptionem, et cui Deus vias vitae notas facturus, quemque vultus sui laetitia adimpleturus sit, qua in aeternum in Dei dextra perfruatur, de eodem Christo.

---

a) שְׁאוֹל

XX.

PSALM. 68. v. 22.

Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

וַיִּתְּנוּ בְּבָרוּתִי רֹאשׁ וְלִצְמָאִי יַשְׁקוּנִי חֹמֶץ׃

Scribit Evangelista Joannes cap. 19. v. 28. *Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam, plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum.* Cum Christus ad consummandam Scripturam dixerit, se sitire, ae deinde acetum ei oblatum sit, atque hoc accepto rursus dixerit, consummatum esse, istudque ex nexu cum antecedente intelligatur sumpto aceto consummatum esse, cujus consummandi causa dixit: Sitio; sequitur, Scripturam debere existere, quae praedixerit Christum aceto potandum esse, atque hanc tunc esse impletam, dum Christo, in cruce pendenti, et sitienti acetum ex spongia sugendum datum est. Istius vero Psalmi 68. Scriptura hoc de potu aceti habet, et nulla alia. Haec ergo esse debet Scriptura, quae ad Christum spectet, praedixeritque, aceto esse potandum: quod secus nulla haec fuisset Scriptura, quae per Christum, sitim

suam

suam testantem, atque aceto potatum impleta, atque consummata esset. Idem inGraeco Evangelii Joannis textu sic est: *Μετὰ τοῦτο εἰδὼς ὁ Ἰήσους ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή, λέγει, Διψῶ.* Quare autem textum Graecum affero, dum inter hunc, et versionem Latinam nulla sit sensus differentia? quia David Michaelis istud Joannis ita etiam verti posse adstruxit: *Postea dicebat Jesus, qui sciebat, jam omne peractum esse, quod ad implendam Scripturam necessarium erat: Sitio,* a) ut judicium quisque ferre posset de hac illius versione, quae nonnisi eo pertineat, ne maneat certum, hoc propheticum de Christo esse, quod in hoc praesenti Psalmo de siti est, et ad hanc leniendam de aceto.

Sunt vero plura adhuc in Psalmo, quae partim ejusdem Joannis, partim aliorum Apostolorum testimonio spectent etiam ad Christum, vel quod actum per illum sit; vel quam malignitatem expertus sit ab Judaeis et quae deinde in hos reciderint poenae. Videlicet, quod cum Christus, flagello de funiculis facto vendentes ex templo ejecisset, Evangelista Joannes deinde dicat: *Recordati sunt vero discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me.* Joan. 2. v. 17. Id, quod in hujus Psalmi 68. versu 10. est. Iterum igitur hoc ex sensu Apostolorum, scriptum de Christo fuit, et prophetice ad illum pertinuit. Rursus hoc: *Oderunt me gratis.* V. 5. pertinet pariter ad Christum. Joan. 15. v. 25. Iterum est hoc: *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet:* V. 26. quod S. Petrus ex libro Psalmorum produxit pro Judae proditoris interitu: tanquam quod tam hujus, quam omnium Judaeorum, quod Christum insectati sint,

a) Hierauf sagte Jesus, der wusste, dass alles bereits vollbracht wäre, was zu Erfüllung der Schrift nöthig war: mich durstet. In Adnotat. in hunc Psalm. et in Joan.

exitium in hoc Psalmorum libro, determinateque in hoc Psalmo 68. ex quo testimonium sumsit, scriptum, ac praedictum sit. Istud quoque: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* V. 10. S. Paulus produxit tanquam scriptum de Christo. *Etenim*, inquit, Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Rom. 15. v. 3. Idem Paulus eadem epistola ad Rom. 11. v. 9. etiam ista: *Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem et in scandalum, et in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* V. 22, 24. sic protulit, ut hinc Judaeorum probaverit reprobationem, quam subierunt, dum ipsis relictis in sua caecitate, Gentiles prae illis donati per Christum lumine Evangelii sunt.

Psalmus hic Davidis est. Id, quod ex S. Paulo etiam certum fit, qui expresse habet, Davidem haec dixisse quae modo ab eo ad Rom. c. 11. v. 9. ex hoc Psalmo ab eo esse producta, ostendi. Psalmus formam habet precationis ad Deum in summo aliquo discrimine. Ab initio usque ad V. 13. magnitudinem discriminis, in quo versetur, exponit, suumque statum assimilat homini aquis merso, et qui jam prope est, ut obruatur fluctibus: multitudinem hostium deinde memorat, a quibus cinctus sit, ut evadendi modum non videat. A V. 14. deinde suppliciter orat Deum, ut is ex hac tempestate, et ab inimicis suis ipsum liberet: qui desertus ab omnibus aliis sit. A Versu 22. cum commemorasset fel sibi datum in escam, et aceto in siti sua ab adversariis se potatum esse, imprecatur, ut his mensa eorum fieret in laqueum, et offendiculum, unde cadant in vicem fellis istius, atque aceti, sibi ab illis porrecti, ut eorum oculi obscurentur, ne videant, eorumque dorsum semper incurvet, continuas plagas illis imponendo; ut super hos iram, atque furorem suum effundat, fieretque eorum habitatio

deserta, nec in eorum tabernaculis quisquam sit, qui inhabitet, iniquitatemque super iniquitatem illis adderet, et de libro viventium delerentur, et ne cum justis scriberentur. Quoniam quem Deus percussisset, hunc illi persecuti fuissent, et super dolorem vulnerum illius addidissent. a), A v. 30. Quamvis vero pauper *afflictus* b) et dolens esset, tamen profitetur fore, ut Dei salus eum suscipiat, et quem Deum pro salute, sibi praestita laudaturus sit, invitatis ad laudandum Deum caelo, terra, mari, atque cunctis, quae in his repunt, et moventur; demum testatur fore, ut Deus salvam faciat Sion, civitatesque Juda aedificentur, atque a semine servorum Dei incolantur, et possideantur.

Sunt in hoc Psalmo quaepiam, quae Christo non videantur convenire, cujusmodi V. 6. est: *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita*, et V. 12: *Posui vestimentum meum cilicium.* Neque enim uspiam est, Christum sacco, quod poenitentiae, et luctus vestimentum erat, indutum fuisse. Etiam vero quaedam sunt, quae neque de Davide accipi possint. Neque enim felle, et aceto potatus aliquando est. Cum ergo per totum hunc Psalmum eadem semper persona loquens sit, si David in sua rem agit persona, sequetur ea, quae sunt in hoc Psalmo, non pertinere ad

---

a) וְאֶל־מַכְאוֹב חֲלָלֶיךָ יְסַפֵּרוּ *Et ad dolorem vulneratorum tuorum numerabunt.* Hoc est, numerum addent, augebunt. Numerus vero pluralis: *Vulneratorum tuorum* est pro singulari: *Vulnerati tui* per enallagen. Sensus itaque est: De dolore, quem tibi per vulnera, a se inflicta, intulerunt, se se jactabunt. Nam verbum יְסַפֵּרוּ hanc etiam enarrandi, jactandi se, et gloriandi significationem habet.

b) עָנִי

Christum: si vero Davidem in persona Christi hunc cantasse Psalmum voluerimus cogitare, obstabunt ea, quae jam indicata sunt. In hoc autem bivio, aliosne viae duces, ne erremus, quam Evangelistas, et Apostolos sequemur? Ergo omnino Psalmus iste de Christo intelligendus nobis est. Bis jactatus vehementissime David est per adversarios suos, quemque perditum habere voluerint. Primum per Saulem, deinde per filium suum Absalomum, qui conjuratione facta, totaque populi multitudine ad seditionem contra Davidem concitata, non tantum regno, sed vita etiam patrem privare voluit. In prima jactatione sua David innocens fuit: in altera vero poenas dedit violatae Bethsabeae, et occisi Vriae. 2. Reg. 12. v. 11. Christus etiam et innocens, et pro peccatis passus, mortuusque est. Pro peccatis autem, quae in se suscepit nostra, et morte sua expiavit. David in regia sua dignitate typum gessit Christi. Id, quod demonstratum est ad 2. Reg. 7. v. 12. Sicut itaque David, constitutus a Deo rex, dum agnitus pro rege, et receptus non esset, Christi typus fuit, quem in propria venientem sui non receperunt, Joan. 1. v. 11. ita in illa adversitate sua, et conjuratione adversum se facta, auctore Absalomo, typum etiam gessit Christi, quem exitiali odio persecuti sunt Judaei, sic vero, ut quas meritas poenas luebat David ob scelus commissum cum Bethsabea, et adversus Vriam, his Christum figuraret, etiam pro peccatis patientem, quae nostra pertulit in corpore suo super lignum. 1. Petr. 2. v. 24. Quamvis ergo David in illa procella conjurationis per Absalomum in poenitentiae habitu fuerit, saccoque, et jejunio Deum sibi placare studens, conscius sibi, cur pateretur, non tamen eo minus totus Psalmus spectat ad Christum, dum David etiam per agnitionem suorum peccatorum, et poenitentiam suam figurans Christum, sustinentem poenas peccatorum nostrorum, cecinisset hunc psalmum, personamque indutus Christi,

quae pronunciavit, pronunciaverit de Christo. Similiter istud etiam factum est a Davide in Psalmo 2. 15. 21. et 39. Cum aceto autem fel proprio sensu Christo datum non est: sed per fel designatum est myrrhatum vinum amarum, quod supplicio plectendis solebat dari, ut vi fortis istius potus stupefactis sensibus dolorem, et cruciatum minus sentirent: et quod vinum Christus gustavit quidem, sed bibere tamen noluit: nec pietas aliud cogitare sinit nos, quam ne sibi dolorem minueret: et qui nihilominus sitim suam testatus acetum sumpsit, unde patesceret, vere passum esse, dum magni cruciatus magnam etiam vim ad commovendam sitim habent, quin tamen levamen etiam ex hoc potu sibi quaesiverit: qui simul atque acetum sumpsit, caput inclinavit, et tradidit spiritum. Joan. 19. v. 30.

XXI.

PSALM. 108. v. 6.

Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.

הַפְקֵד עָלָיו רָשָׁע וְשָׂטָן יַעֲמֹד עַל־יְמִינוֹ׃ בְּהִשָּׁפְטוֹ יֵצֵא
רָשָׁע וּתְפִלָּתוֹ תִּהְיֶה לַחֲטָאָה׃ יִהְיוּ־יָמָיו מְעַטִּים
פְּקֻדָּתוֹ יִקַּח אַחֵר׃

Postquam Christus adscendit in caelum, et Apostoli reversi sunt Jerosolymam a monte Oliveti, ubi spectatores istius adscensionis erant, Petrus in conventu reliquorum Apostolorum, et Christi discipulorum omnium, quorum erat numerus fere centum viginti, auctor fuit, ut in locum Judae proditoris alius eligeretur apostolus, sic affatus totam multitudinem: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius*, inter caelum videlicet, et terram, *et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingva eorum Haceldama, hoc est, ager sangvinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Act. 1. v. 16—22. Electusque deinde, et factus Apostolus Matthias est. Quod primum Petrus citavit: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea*, est sumptum ex Psal. 68. v. 26.

alterum: *Et episcopatum ejus accipiat alter*, est ex hoc Psalmo 108. Episcopatus Hebraice est *praefectura*, a) ἐπισκοπή. Ex quo sua sponte etiam intelligitur, cur Latina versio Psalmorum facta ex versione Septv. episcopatum hoc loco habeat.

In hoc Psalmo David Deum in auxilium suum invocat, dicens: *Deus laudem meam ne tacueris*, Hebr. *Deus laudis meae*, b) hoc est mihi laudande, *ne taceas*. Non tacere autem ad preces, significat his respondere, et tribuere, quod his petitum est. *Quia*, inquit, *os peccatoris, et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingva dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis* Hebr. *et impugnarunt me gratis*, c) sine causa. *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Pro seipsone orabat, an pro illis? Pro illis. Narrat enim, qualiter affectus erga illos fuerit. Atque sic Davidem fecisse pro suis inimicis, est etiam Psal. 34. v. 13. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Prius vero in numero singulari de uno locutus est peccatore, et doloso, qui suum os adversum illum aperuerit, deinde de pluribus, qui idem pariter fecerint, bonumque malo repensaverint. Tum vero illa pronunciat: *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.* Imprecatio fit, ut iste, in quem hoc dictum est, homini impio tradatur judicandus, et ejus defensor sit diabolus, Hebraice *Satan*, id est, adversarius nempe ejusdem judicandi. Cui deinde consonum est, quod sequitur: *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.* Oratio, quo judices interpellat, et poenam deprecatur. In qua cum ab eo, qui condemnatus est,

---

a) פְּקֻדָּה b) אֱלֹהֵי תְהִלָּתִי c) וַיִּלָּחֲמוּנִי חִנָּם

extenuatio criminis soleat fieri, et inde sequatur, sententiam esse latam severiorem, quam par fuerit, et delicto graviorem, adhuc magis exasperantur animi judicum. Atque sic deinde itur ulterius imprecando usque ad V. 19. in quo hae imprecationes finiuntur.

Orthodoxi interpretes has exsecrationes semper intellexerunt, et a Davide pronunciatas esse in quempiam e suis adversariis, qui fuerit vel Doeg Idumaeus, a quo proditus erat Sauli, et per quem Achimelechi, quod Davidi, dum fugeret metu Saulis dedisset panes, et multorum facta est caedes sacerdotum; 1. Reg. 22. v. 18. vel Achitophel, ab intimis consiliis prius Davidi, deinde vero ejus proditor, et praecipuus gubernator conjurationis Absalomiticae adversus Davidem, 2. Reg. 15. v. 31. et quae exsecratio in horum alterutrum (Achitophelem fuisse est probabilius) jacta a Davide pertinuerit ulterius ad Judam proditorem: dum iste adversarius Davidis, itemque ceteri illius insectatores perinde suo odio in Davidem adumbraverint Dei consilio Judaeos, interfectores Christi, ut ipse David patientia sua Christum. Siquidem S. Petrus, hanc Scripturam, quae est in hoc psalmo: *Episcopatum ejus accipiat alter*, doceat, et asseveret de Juda proditore per Davidem praedictam esse a Spiritu sancto.

David Michaelis iterum primus prodiit, ut est novarum interpretationum inventor locupletissimus, qui adstruxit in Adnotat. suis ad hunc psalmum, imprecatoria haec non esse Davidis verba in suum adversarium, sed adversariorum Davidis in Davidem, quaeque iste tantum referat, et memoret. Esse enim haec aliena ab charactere hominis probi, atque mansveti, in suosque inimicos benigni, atque benefici, qualem ipse etiam David se in hoc psalmo V. 4. et 5. erga illos esse praedicaverit. Deinde Davidem ante, et post has imprecationes semper in plurali numero de suis adversariis loqui. At vero omnes has imprecationes

dirigi adversus unum. Qui proinde David sit, non hujus adversarii. Quod vero ad Petrum apostolum attineat, hunc nondum tunc, quando verba haec: *Episcopatum ejus accipiat alter*, de Juda proditore sumpsit, et affirmavit Davidis ore per Spiritum s. de illo esse edita, Spiritu sancto instructum fuisse adversus errorem. Siquidem res haec acta sit ante diem Pentecostes, quo die tantum Spiritus sanctus effusus super Apostolos sit.

Si hic, et in hoc psalmo alienum a Davide est, neque ei convenire potest, ut imprecationes faciat, ergo similes neque alibi vel ipse David, vel alter a Deo afflatus scriptor facere potuit. Atqui David etiam iis, qui Saulem incitarunt contra Davidem, imprecatus est, ut maledicti sint coram Deo. 1. Reg. 26. v. 19. Ejusdem Davidis in suos inimicos sunt verba etiam haec: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones, et in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet. Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt. et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Psalm. 68. v. 22. et seqentib. Quae verba iterum esse Davidis, testimonio S. Pauli constat. Roman. 11. v. 9. Dumque mensam imprecatur, quae sit his in laqueum, et in retributiones, et in scandalum, quia fel ei dederint in escam, et in siti potaverint aceto; iste vero Christus sit, sic ab Judaeis habitus, et de quibus reprobandis a Deo, qui Christum persecuti sunt, et occiderunt Judaei, ista etiam Psalmi hujus imprecatoria Davidis verba allegavit Paulus;

intelligitur, ista non tantum esse Davidis, sed etiam pronunciata ab hoc in persona Christi: quin propterea ipsius etiam Christi mansvetudini, ac patientiae, contraria sint. Similes imprecationes est videre Psal. 27. v. 4. Psal. 34. v. 3—8. Psal. 82. v. 10—19. Psal. 135. v. 8, 9. Jerem. 11. v. 20. Cap. 17. v. 18. et cujusmodi exempla imprecationum produci adhuc possent plura. Divinae sanctitatis, et justitiae est, impiis irrogare etiam mala, non tantum ista in illos pronunciare. Quae vero secundum Dei sanctitatem, et justitiam sunt, nec pietate Davidis, aut cujuscunque alterius justi hominis aequitati contraria sunt, eoque minus, si Dei Spiritu etiam enunciata sint. Post has maledictiones, quae finiuntur V. 19. subjungit deinde David, idque ex suo in adversarios suos sensu, ipso etiam Davide Michaelis ultro dante, et agnoscente: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam* Hebr. *Hoc opus adversantium mihi a Deo, et loquentium malum adversus animam meam.* a) Itaque hoc opus, seu haec res, haec merces, ut etiam ipse David Michaelis vertit: b) res autem, et merces intelligitur, quae antecessit in imprecationibus, eveniet a Deo mihi adversantibus, malumque loquentibus adversus animam meam. Clarum itaque est, dum quae in imprecationibus sunt, David dicit his eventura esse a Deo, qui ei adversarentur, ista esse a Davide pronunciata in illos, non ab his in Davidem. Sed neque aliter ipse etiam David Michaelis hunc versiculum vigesimum cum impreca-

a) זֹאת פְּעֻלַּת שֹׂטְנַי מֵאֵת יְהוָה וְהַדֹּבְרִים רָע עַל־נַפְשִׁי

b) Versio Davidis Michaelis sic se habet, ad verbum: Meiner Widersacher Lohn von Gott wird dis seyn, und derer, die Böses gegen mein Leben reden.]

cationibus, quas aliorum vult esse adversus Davidem, potuit conciliare cum oratione reliqua, quam dicendo, esse has deinde a Davide in hoc V. 20. in suos adversarios retortas. Quo, quid aliud agnoscit, et confitetur, quam esse tamen etiam *sic* has Davidis imprecationes in suos adversarios?

Quod alterum est Davidis Michaelis, Davidem ante et post has imprecationes semper de suis adversariis loqui in numero plurali, et unde concludit, has imprecationes, quae in quempiam singularem fiant, non esse ipsius Davidis, falsum est, et quod jam statim V. 1. refellitur: *Deus laudem meam ne tacueris*: *quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.* Idem etiam ex V. 20. qui modo explicatus est, adparet, sed ita, ut quamvis in his imprecationibus singulariter ad quempiam respectum esset; tamen his inclusi fuerint alii etiam plures, dum dicit: *Hoc opus eorum*, *qui detrahunt mihi* etc. Erat nempe ex adversariis Davidis unus praecipue, in quem directa erat maledictio; quin tamen alios ab hac excluserit. Iste autem, qui primipilus fuit factionis contra Davidem, et in quem se exeruit David maxime, sive Doeg, sive Achitophel fuerit, Dei consilio assumptus est ad figurandum Judam proditorem, qui dux fuit eorum, qui comprehenderunt Jesum, Act. 1. v. 16.

Quamvis ergo hoc, *Episcopatum ejus accipiat alter*, S. Petrus, ante diem Pentecostes asseveraverit esse de Juda, idque vi praedictionis per Spiritum sanctum; nondum tamen ratiunculis effectum est, quas obmovit Michaelis, Petrum falso ad Judam verba haec retulisse. Ex Spritus Sancti dono, quod die Pentecostes Petrus accepit, sequitur, errare illum deinceps non potuisse, non autem, prius errare debuisse. Nec Spiritus sanctus die Pentecostes ita effusus est, ut hujus donum ad intelligendum hoc, *Episcopatum ejus accipiat al-*

ter, quo pertineret non etiam prius peroipere Petrus, et discere ab ipso Deo potuerit, perinde ut sic Pater caelestis ei etiam revelaverat, Christum esse filium Dei. Matth. 16. v. 17. Est etiam Luc. 24. v. 45. Christum Apostolis aperuisse sensum, ut intelligerent Scripturas. Annon ergo vel hinc Petro suppetebat, ut scire posset hujus: *Episcopatum ejus accipiat alter*, verum sensum, et cujus Scripturae auctoritate hoc executus sit, cui Christus suas tradiderat oves? Joan. 21. v. 17. Potestne de Petro vel prudenter cogitari, adgressurum fuisse negotium, quod prius Christus per seipsum fecerat eligendo Apostolos, nisi certum Dei mandatum habuisset? De Judae interitu esse in Scriptura vaticinium editum, ipse testatus est Christus. *Quos dedisti mihi*, sunt illius verba ad Patrem caelestem, *custodivi, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut impleatur Scriptura.* Joan. 17. v. 12. Nisi autem hoc vere de Juda esset, quod de illo esse, testatus est Petrus, nuspiam erit in Scriptura, quod tamen Christus in ea esse dixit: aut certe produci deberet alter Scripturae de Judae exitio locus. Qui vero nullus est praeter hunc a Petro productum. Paulo ante ad Psalmi 15. hunc locum: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, vidimus eumdem Davidem Michaelis perinde Petro tribuisse errorem, in verbis his intelligendis de Christo, ejusque a morte resurrectione, tametsi hoc Petrus fecerit jam die Pentecostes post acceptum Spiritum s. Sive ergo ante, sive post Pentecosten aeque Davidi Michaelis, ubi ei placuerat, errare Petrus potuit. Neque jam hoc pro causa manere potest, errasse Petrum in intelligendis Scripturae verbis, quia hoc fecerit ante Pentecosten: quandoquidem secundum eumdem Davidem Michaelis perinde erraverit etiam post Pentecosten.

XXII.

P S A L M. 109.

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי שֵׁב לִימִינִי עַד אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם
לְרַגְלֶיךָ: מַטֵּה עֻזְּךָ יִשְׁלַח יְהוָה מִצִּיּוֹן רְדֵה בְּקֶרֶב
אֹיְבֶיךָ: עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם
מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ:

Christus tentatus jam a Pharisaeis pluribus quaestionibus, ansam quaerentibus carpendae illius doctrinae, dumque iterum congregati ad eum essent, quidpiam molientes, praeoccupans illos, hanc quaestionem ipsis posuit: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* responderunt absque tergiversatione, filium esse

Davidis. Christus vero ulterius quaerens, *Quomodo ergo*, inquit, *David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Docet vero deinde Evangelista, neminem Pharisaeorum fuisse, qui Christo sciverit huc respondere, nec ex illa die quemquam ausum esse illum interrogare. Matth. 22. v. 41—46. Haec eadem verba Psalmi hujus allegavit S. Petrus in concione illa, quam die Pentecostes habuit ad Judaeos, ex his Jesum probans esse Messiam: siquidem a morte surrexerit, et in caelum adscenderit, quemadmodum de hoc praedictum sit per Davidem. *Non enim*, inquit, *David adscendit in caelum. Dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Act. 2. v. 34. S. Paulus quoque, dum ad Hebraeos scribens ostenderet, Christum esse Filium Dei, ita ut suae nativitatis consortem neminem habeat, nequidem ex Angelis, qui etiam ad dexteram Majestatis in excelsis, peccatorum purgatione facta sedeat, pariter haec eadem verba protulit: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando. Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Hebr. 1. v. 13. Iterumque: *Hic autem* (Jesus Christus) *unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Hebr. 10. v. 12. Rursus: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* 1. Cor. 15. v. 25.

Ex his manifestum fit, nisi fidem velimus derogare non tantum Petro, et Paulo apostolis, verum etiam ipsi Christo, psalmum hunc Davidis esse, sub cujus nomine ab his productus est, atque in hoc Davidem loqui de

Christo: siquidem eum pro se Christus, et pro Christo Petrus, et Paulus allegaverint. Christus autem pro sua divinitate hunc allegavit. Nam hoc est, quod ei respondere Pharisaei nesciverint, qui adverterint, omnino, Messiae in hoc psalmo praedicari a Davide divinitatem ex interrogatione sibi facta a Christo: sed cum ad hanc mentem numquam antea erexissent, nihilque ultra humanum de illo cogitassent, respondere nesciverint. Si enim ad divinitatem Messiae suspexissent, quid tam in promptu ipsis esse debuisset, quam scire dicere, cur David illum Dominum vocet? Etiam vero Pharisaei Christum, quamvis tantum purum hominem futurum existimaverint; certe tamen Messiae dignitatem regia Davidis dignitate majorem, atque eminentiorem crediderunt. Neque enim Pharisaeos fugere potuit, etiam ipsum Davidem, postquam regiam potestatem adeptus est, Isai patris sui dominum factum esse, et similiter Saulem patris sui Cis, quamvis et Saul, et David homines tantum fuerint.

Quare ergo in hoc, quomodo David Christum vocet Dominum, Pharisaei adhaerescere potuerunt, etiam Christum cogitantes solummodo futurum hominem? quia videlicet, ut jam dictum est, ex Christi interrogatione adverterunt, per Davidem, in iis verbis, quae producta sunt a Christo, praedicari Christi divinitatem. Vndenam vero, cum appellatio, et domini vocabulum hanc secum non habeat necessario conjunctam divinitatis notionem, dominique appellatio passim hominibus tribuatur etiam in Scriptura? Nec *Domino meo*, quibus verbis usus est David erga Christum, ex Hebraeo, ubi est *Ladoni* a) majus praebet lumen ad hoc dispiciendum. Nam hoc *Adoni* b) *Dominus meus* et Deo, et angelis, et homi-

a) לַאדֹנִי b) אֲדֹנִי

nibus solet in Scriptura tribui, perinde ut nos in vocabulo, *dominus* facere solemus. Idem hoc nomen *Adon* a) *dominus*, positum in numero plurali, et scriptum: *Adonai*, *domini mei*, b) quod singularibus etiam personis tribuitur, cum sit nomen dignitatis, et potestatis, semper tantum datur hominibus. Si autem scriptum sit cum vocali longa Kametz *Adonai* c) tribuitur nonnisi Deo Cum ergo aetate Christi nondum fuerint Hebraeis puncta vocalia, censent nonnulli Christum hoc: *Domino meo*, allatum ex hoc psalmo, enunciasse non ut modo est in Bibliis, sed cum vocali longa, et quo pacto Christus intelligeretur esse Deus. Masorethae autem, qui puncta vocalia repererunt, textuique Scripturae adposuerunt, cum hunc laborem susceperint, ut legendi rationem conservarent vetustam, et a majoribus suis venientem, eam nobis lectionem tradiderunt, quae antiquitus fuerit usitata. Jam vero si Christus hunc aliter locum legisset, et allegasset, quam consveverat legi ab omnibus aliis, annon facile fuisset Pharisaeis non tantum respondere, sed etiam Christum falsae, et dolosae lectionis arguere? Non autem in sola Domini appellatione, qua usus David est erga Messiam, constitit argumenti vis ad probandam ex hoc Davidis psalmo Christi divinitatem, sed ex verbis illis, quae una Christus recitavit: *Sede a dextris meis.* Ex eo enim, quod Deus Messiam ad suam dextram collocaturus esset, clarum erat, Deo Messiam aequari in divinitate. Nam hoc etiam est, cur Judaei Christum, quod de se dixisset: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, Matth. 26. v. 64. veluti blasphemantem, divinamque dignitatem, sibi arrogantem in suo concilio mortis reum esse judicaverint.

---

a) אָדוֹן b) אֲדֹנַי c) אֲדֹנָי

Cum

Cum vero S. Petrus haec verba Dei de Messia sumpserit, et de ejus adscensione in caelum, similiterque S. Paulus de ea illius sessione, quam in caelo tenet, donec inimici ejus fierent scabellum pedum illius; planum est, futile esse, quod Neoterici adstruunt, nominatimque ex his David Michaelis, sessionem intelligi in hoc psalmo ad dexteram arcae foederis, quae divinae praesentiae symbolum esset in Dei tabernaculo: et quamvis arca soleat etiam vocari scabellum pedum Dei; tamen evidens est, in hoc psalmi loco per scabellum pedum intelligi debellationem inimicorum, quorum insolentiam Christus usque ad novissimum mundi tempus perferat, et quos tantum tunc universos debellaturus, et traditurus sempiternis suppliciis sit. Etiam vero illud ex S. Paulo clarum fit, quamvis Christus in hoc psalmo sessurus in dextera Dei dicatur, donec ejus inimici ponerentur scabellum pedum illius; tamen illam tunc finiendam non esse, quandoquidem Paulus, dum docet Christum sessurum in dextera Dei, et exspectare, donec inimici illius ponantur scabellum pedum ejus, una tamen etiam asseveret sessurum in hac dextera Dei in sempiternum. Hebr. 10. v. 12. Non ergo finem sessionis indicat vocula *donec*, a) sed ea significatur, sessurum Christum in dextera Dei, plenaque sua fruiturum gloria, etiam dum inimici illius adhuc modo aliis, atque aliis se se adversus illum erigentibus positi infra ejus scabellum nondum essent.

Sequitur deinde: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Fuit Psalm. 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Haec ergo etiam virga virtutis Christi intelligitur, et potestas regiae ipsius dignitatis, quam regnans in Sion exercet. Regnum autem Christi est Ecclesia, ex parte in

---

a) עַד

peregrinationis statu adhuc hic in mundo posita; ex parte jam in caelo triumphans, donec tota eo perveniat. Quamvis ergo sub pedibus Christi illius inimici positi nondum essent, tamen eousque etiam dicitur futurum, ut vis regiae potestatis Christi obtineat. Quo etiam istud pertinet, quod sequitur, dictum esse ei a Deo: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Quantumcumque enim hi furerent adversus Christum, ejusque regnum atque Ecclesiam oppugnarent; tamen nullum huic ejus regno afferre detrimentum possent. Neque enim quisquam Christi oves potest rapere ex manu Christi. Joan. 10. v. 29.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. Juxta Hebraeum pressius: *Populus tuus spontaneus,* a) *in die virtutis tuae*: hoc est, dum se virga virtutis tuae ex Sion explicabit, dum regale sceptrum in Sion tenebis, atque hinc potentiam regni tui dilatabis; populus tuus erit spontaneus, voluntarius, qui se tibi ex animo libenter subjiciet. Est declaratio, qua ratione Christus populum, cujus rex erit, sibi comparaturus sit. Septvaginta autem cum vertissent: *μετά σου ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου*, *Tecum*, hamecha pro *populus tuus* legendo *Himach* b) quod significat *tecum*) *principatus in die virtutis tuae;* Latinus deinde interpres ex Graeco vertens insuper pro principatu etiam *principium* latine posuit, dum Graecum ἀρχὴ utrumque significare potest. Hoc autem quod in Vulgata Latina versione est: *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te*, et juxta Hebraeum c) ego jam in

a) עַמְּךָ נְדָבֹת b) עִמְּךָ c) בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ.

Opere meo, quo Scripturam s. interpretatus sum, sic verti, *In splendoribus sanctitatis ex utero diluculo tibi ros nativitatis tuae.* Istud vero *Jaldüthechā*, non tantum recentiores, verum etiam S. Hieronymus vertit, adolescentiam, juventutem. Sunt verba S. Hieronymi ista: *Quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiae tuae.* Etiam Aquila vertit παιδιότης, Symmachus, et Theodotio νεότης, pueritiam, juventutem. Totumque hunc locum recentiores intelligunt de iis, qui credendo in Christum ejus populus effecti sunt, et ex quibus ei in die virtutis ejus, quando regnum explicare coepit per praedicationem Evangelii, effloruerit celeriter, et natus sit quidam quasi juvenilis roboris exercitus. Qua propter versiculum hunc paraphrastice sic vertit Hulsius in Annotationibus ad Biblia Hebraica: *Populus tuus spontaneitatum, id est, ad obsequium paratus, in die roboris tui, id est, in die praedicationis tuae, ex utero aurorae tibi ros juventutis tuae, id est, generabuntur tibi liberi per praedicationem Evangelii, tanquam ex utero foecundissimo, sicut ros generatur ab aurora, et tanta erit fidelium copia, quanta guttarum roris super herba tempore aurorae.* Juvenilem militiam (Junge Mannschaft) etiam David Michaelis vertit.

Haec diversitas intelligendi, et interpretandi est ex vocabulo *Jalduth*, quod cum praeter hunc praesentem Psalmi, in quo modo sumus, locum, tantum bis praeterea in Bibliis recurrat, Eccl. 11. v. 9. et 10. tempusque aetatis juvenilis, et adolescentiae his in locis significet; in eadem significatione sumptum etiam sit in hocce Psalmi loco, et a S. Hieronymo, et ab Aquila, Theodotione, Symmacho, eodemque modo sumatur a recentioribus, contra quam hoc vocabulum sumpserint, et intellexerint Interpretes Septvaginta sic vertendo: ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε: nisi quod verbo usi sint pro nomine. Ex quo

vero intelligitur, hoc *Jalduth* esse sumptum, et intellectum a Septvaginta pro nativitate, quam significationem vi suae derivationis a verbo *Jalad* a) *genuit*, *generavit*, omnino habet magis etiam, quam adolescentiae, et juventutis: ad quam significandam aetatem nemo non videt, esse hoc nomen tantum adhibitum in latiore significatione, propter illius cum nativitate, quoad tempus, propinquitatem. Nec aliquod obstaculum illud facere potest, quod ista ratione in hac significatione nuspiam alibi in Bibliis reperiatur extra hunc locum Psalmi hujus, in quo modo sumus. Sunt enim aliae etiam permultae voces, quae nonnisi semel reperiantur. Dum vero hoc a Septvaginta sumptum est in hac generationis significatione, num horum testimonium, sufficiens non erit ad docendum, quae huic vocabulo altera etiam nativitatis, et generationis insit significatio? dumque quaestio de lingva Hebraica est, atque ejus verborum sensu, his Septvaginta, qui vixerunt, quando lingva Hebraea viva adhuc erat, iisdem nativa, Aquilane, Symmachus, Theodotio, et ipse etiam S. Hieronymus hac in re anteferri potest?

Jam in his verbis Dei ad Messiam: *In splendoribus sanctitatis ex utero, diluculo, tibi ros nativitatis tuae*, clarum fit, hoc: *Tibi ros nativitatis tuae*, idem esse, quod genitum esse, ducendo metaphoram ab rore, et aqua, unde foecundantur plantae, et germinant, quemadmodum apud Isaiam etiam est: *Qui de aquis Juda existis*, Isa. 48. v. 1. pro eo, quod propriis verbis dictum fuisset: Vos, qui de Juda generati estis. Quid per splendores sanctitatis intelligendum sit, pariter obscurum non manet ex illis verbis Christi: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.* Joan. 10. v. 36. Nam Chri-

---

a) יָלַד

stus, splendor gloriae, et figura substantiae Dei, Hebr. 1. v. 3. splendorum suae sanctitatis per suam ex Deo nativitatem habet. Tanto vero hoc patentius fit, quando Christo etiam ex Dei utero ros iste nativitatis affirmatur fuisse. Nam certe uterus ad significandam generationem, quae fit ex substantia propria, et natura, pertinet. *Si Deus Filium habet,* sunt verba S. Augustini ad hunc psalmi istius locum, *numquid et uterum? Sicut autem corpus non habet, ita nec sinum. Dictum est tamen Qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joan. 1. v. 18. *Qui est autem sinus, ipse est uterus: et sinus, et uterus pro secreto positus est. Quid est ex utero? ex secreto, ex occulto, de meipso, de substantia mea, hoc est, ex utero.* Quod in Vulgata Latina versione post Septvaginta est: *ante luciferum,* ego verti: *diluculo* quia etiam sine praepositione est in Hebraeo: *Mischchar* quae vox auroram significat, primamque diei lucem: et est rursus in eo assimilatio cum hac diluculi luce, quod quemadmodum haec antecedit reliquam totius diei lucem, omniumque prima creata est; ita Christus quoque sit primogenitus omnis creaturae. Coloss. 1. v. 15. Vt ergo in Psalmo 2. Christus, rex a Deo constitutus super Sion, cumque ad eum Deus dixisset: *Filius es tu, ego hodie genui te,* postulandi etiam una jus accepit gentes in suam haereditatem, atque terminos terrae in possessionem suam; ita dum ejusdem Christi in hoc etiam Psalmo 109. praedicata virga, et sceptrum est virtutis illius, quam virgam, et sceptrum Deus emissurus ex Sion sit; una etiam fons indicatur, cur Christo sit regnum hoc a Deo collatum, atque una, ut sedeat ad dexteram Dei: siquidem genitus sit a Deo, jureque suae nativitatis, qua ejusdem naturae est factus cum Deo Patre, omnis ei etiam competat aequalitas dignitatis ac potestatis, cum eodem Deo Patre.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

נשבע יהוה ולא ינחם אתה־כהן לעולם על־דברתי מלכי־צדק׃

Sunt iterum verba Dei ad Messiam. Juramentum in Deo significat, quemadmodum S. Paulus docet, Hebr. 6. v. 17. immobilitatem divini consilii. Legem de sacerdotio Levitico, quod fuit Vet. F., vocat idem Apostolus legem mandati carnalis, Hebr. 7 v. 16. quod data tantum ad tempus sit, et stabilitatem habitura non esset. Quo pertinet istud quoque, fore, ut Deum non poeniteat suae istius sponsionis de sacerdotio Messiae tribuendo. *Vbi legitur*, ait S. Augustinus lib. 17. de Civ. Dei c. 7. *quod poeniteat Deum, mutatio rerum significatur immutabili praescientia manente divina.* Quid sit, sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, iterum declarat S. Paulus, haec verba: *Secundum ordinem* Graece exprimens: κατὰ τὴν τάξιν Hebr. 5. v. 6. Cap. 7. v. 11. et κατα την ὁμοιότητα. Hebr. 7. v. 15. Τάξις vero significat *ordinem*, certum rei modum; ὁμοιοτης *similitudinem*. De Melchisedecho autem est: *At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem, et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* (Abrahamo) Gen. 14. v. 18. In quo ergo consistat ordo, et similitudo sacerdotii Christi, de quo ei Deus juravit, cum sacerdotio Melchisedech, manifestum est. *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans,* sunt verba Concilii Trident. Sess. 22. cap. 1. de Christo, *corpus, et sangvinem*

suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes, constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, 1. *Cor.* 11. *v.* 24. *uti semper Ecclesia Catholica intellexit, et docuit.*

Quod Christus pridie mortis suae, in ultima coena fecit, panem, et vinum consecrans; suumque corpus, et sangvinem faciens, idemque hoc ad faciendum tradens Apostolis, tam Augustana, quam Helvetica Confessio non agnoscit esse sacrificium. Quam ob rem, quoniam Christus et in hoc Psalmo, et a S. Paulo in epistola ad Hebraeos sacerdos praedicatur esse secundum ordinem, et similitudinem Melchisedech, varios ii, qui his addicti Confessionibus sunt, tentarunt modos, illud quod de Melchisedecho sacerdote, proferente panem, et vinum, est in loco citato Geneseos, sic explicandi, ut Melchisedecho non remaneret dignitas sacerdotii, nec illa prolatio panis, et vini esset aliqua actio sacerdotalis officii. Nam, si Melchisedech nullus fuisset sacerdos in proferendo illo pane, et vino, consequens omnino fieret, neque Christum, sacerdotem secundum ordinem, et similitudinem Melchisedech, in eo, quod egit cum pane, et vino in ultima sua coena, egisse sacerdotem, cujus sacerdotium perinde ut Melchisedechi non fuisset verum sacerdotium. Quidquid vero proferunt, et cujusmodi est, fuisse eam panis, et vini factam a Melchisedecho prolationem tantum ad reficiendos Abrahami milites, revertentes ex pugna, et sacerdotes vocari etiam Davidis filios a ministerio, quod exhibebant patri suo regi, 2. Reg. 8. v. 18. omne hoc eliditur per Paulum apostolum, dum is ex his verbis hujus Psalmi: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* directe probat, Christum factum

esse a Deo pontificem. ἀρχιερέα: Hebr. 5. v. 5, 6. deinde quod ex similitudine cum Melchisedecho in sacerdotio eumdem Christum probaverit, eminentius habere sacerdotium Aaronis, et Levitici ordinis sacerdotio. Hebr. 7. v. 7. Haec enim comparatio sacerdotii Aaronis cum sacerdotio Melchisedechi quoad dignitatem institui recte neutiquam potuisset, utrum altero sit majus, atque excellentius, nisi utrumque sacerdotium vere fuisset. Quae dum sic se habent, evincunt, tametsi *Cohen* generatim significet ministrum, atque ideo etiam Davidis filiis data sit haec adpellatio, quod primi fuerint ad manum Regis. 1. Paral. 18. v. 17. tamen Melchisedecho hoc idem nomen esse datum ex ministerio sacerdotali erga Deum, et idcirco etiam prolationem panis, et vini, quam Paulus in illo actionem sacerdotalis muneris spectavit, fuisse actum sacrificii.

David Michaelis, quamvis etiam Protestans, tamen non tantum agnoscit, Melchisedechum fuisse vere sacerdotem, verum etiam rationes eorum, qui istud negarunt, refellit: et insuper Christi etiam sacerdotium, quale futurum esset, asserit, praemonstratum esse per Melchisedechi sacerdotium. Ergo in consecratione panis, et vini in Eucharistia confitetur etiam esse sacrificium? nihil minus. Sed ex hac similitudine sacerdotii Christi cum Melchisedechi sacerdotio, ipsum Christum facit etiam auctorem, et summum antistitem istius, quem modo Neoterici sua Scripturae interpretatione serunt, Naturalismi. Quonam vero modo? Hebraicum *Hál divrathi Málchitzedek* vertit: *Super Sanctum Sanctorum* (Über das Heiligthum) *Melchisedechi*, appellatione Sancti sanctorum sumpta ex Dei tabernaculo apud Hebraeos, ejusque intima parte, in qua arca stabat, suo autem arbitrio. Nam *debir* a) significat intimam templi partem, quam

---

a) דְּבִיר

Graeci vocant *ἄδυτον*, non autem *dibra*, et in statu constructo *dibráth* vel cum Jod paragogico *dibrathi*, sed sumitur pro re, causa, modo, et ratione Eccl. 3. v. 18. Cap. 7. v. 14. Job. 5. v. 8. etc. nec unquam aliter. a) Dum S. Paulus toties hunc Psalmi istius locum adduxit, vertitne is illum uspiam adytum, annon semper *τάξιν*, *ὁμοιοτῆτα*? Apostolone Paulo certiorem auctorem quaerere debuit Michaelis ad intelligendum, quid in Psalmi hujus hoc loco significet *dibrathi*? Explicat vero ipse, et rationem dat suae istius versionis. Esse Orientem incolentibus nationibus omnibus in more, ut inter precandum versus caeli certam plagam se vertant, et quemadmodum hoc ipsi etiam Hebraei Occidentem versus fecerint, in qua tabernaculi parte, spectante ad Occidentem, etiam steterit arca, idque in contrarium aliis gentibus, qui ad Orientem solem se inter precandum consvevissent vertere. Hanc autem plagam, atque locum, quo se vertant, a Turcis vocari *Kibla*, et unde concludit, etiam Hebraeis plagam, spectantem ad Occidentem, fuisse dictam *dibra*. Nondum vero iste finis est conclusionis. Magnum quidpiam hinc deducit, et unde lumen accendetur clarissimum ad perspiciendum, et videndum, quid sit verae, germanae, ab ipso Christo institutae, fundataeque Religionis. Cum inquit, Melchisedecho non fuerit templum ex lapidibus, aut alia materia exstructum, quippe cujusmodi templa illius aetate nulla adhuc fuerint, itaque illum preces, et oblationes

---

a) Descendit דִּבְרָה a radice דִּבֶּר *locutus est*, aeque ut דְּבִיר et quod pro Sancto sanctorum, intima parte ideo sumitur, quod inde Deus consultus loqueretur, et responsa daret: quam ob causam pars superior arcae, ubi Deus concipiebatur velut supra Cherubinos sedens, S. Hieronymo in versione dici solet oraculum.

suas Deo sub aperto caelo fecisse, hasque caelum versus ad Deum direxisse, Christum vero juxta Apostolum tabernaculi non manufacti, sed illius templi Dei, quod caelum est, fuisse pontificem. Hebr. 9. v. 11, 24. Hoc ergo in his verbis, quibus Christus a Davide canitur sacerdos secundum ordinem Mechisedech, sibi videri esse, ut abrogato Levitico sacerdotio ritus per Christum colendi Deum, et religio ea reducatur, quae simplex, et naturalis aetate Melchisedechi fuerit. a) Desideraturne quidpiam clarius ad perspiciendum, quo homines isti sua Scripturae interpretatione laborent, qui scopum ipsius Christi in fundanda religione non alium faciunt, quam solam naturalem religionem? Et ex Turcarumne *Kibla* explicari potius debet, quid Hebraicum *dibrathi* sit, quam ex Apostolo Paulo? Nec caeleste tabernaculum, ad quod per proprium sangvinem intravit Pontifex Christus, atque Christi iste introitus ad id habuit similitudinis aliquid cum Melchisedecho, sed potius cum sacerdotio Aaronis, de quo idem Paulus iterum disertissime docet, summi sacerdotis, semel in anno quolibet, ingressu in Sancta sanctorum per Spiritum s. esse significatum Christi per proprium sangvinem introitum in tabernaculum caeleste. Hebr. 9. v. 8.

Neque tamen Christus, quamvis ejus sangvine facta expiatio peccatorum nostrorum, et per proprium sangvinem introitus in Sancta caelestia adumbratus sit per sacerdotem Levitici ordinis cum sangvine hircorum, et vitulorum, introeuntem in Sancta, dictus est sacerdos secundum ordinem Aaron: sed hunc necesse fuit surgere secundum ordinem Melchisedech. Hebr. 7. v. 11. Quia, quamvis mortem Christi praemonstraverint cruenta vete-

---

a) Auch das scheint in dem Ausdruck zu liegen, dass dieser Priester die Religion, so wie sie zur zeit Melchisedechs in ihrer natürlicher Einfalt war, wieder einführen werde. *In Adnot. ad hunc Psalm.*

ris legis sacrificia, non tamen in hac cruentorum sacrificiorum forma sacrificium Christus instituit pro nova lege, sed in pane, et vino, quae sunt a Melchisedecho oblata, sub panis, et vini speciebus Deo Patri corpus suum, atque sangvinem, primum quidem per seipsum in ultima ante mortem coena, postea vero ad finem usque mundi per ministrorum suorum manus offerendo. In aeternumque Christus manet sacerdos *secundum virtutem vitae insolubilis*, ut S. Paulus inquit ad Hebr. 7. v. 16. qui proinde, quemadmodum vivit in aeternum ita ei in sempiternum etiam manaet dignitas sacerdotii. — Reliqua sunt in hoc Psalmo: *Dominus a dextris tuis confregit in die irae suae reges*, est sermo a psallente Davide ad Messiam, et illud magis declaratur, quod fuit initio Psalmi: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Judicabit in nationibus*, judicabit nationes, *implebit ruinas* juxta Hebraeum: *implebit cadaveribus*, voxque subsequens *terram*, intelligitur, *conquassabit capita in terra multorum*, rursus juxta Hebraeum a) conquassabis caput super terram multam. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Messias intelligitur. Torrens autem, et procella passim in Scriptura pro gravissimis adversitatibus ponuntur. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Philip. 2. v. 8.

---

a) מָלֵא גְוִיּוֹת מָחַץ רֹאשׁ־עַל־אֶרֶץ רַבָּה

XXIII.

E C C L. 3. v. 18.

Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis, idcirco unus interitus est hominis, et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius.

אָמַרְתִּי אֲנִי בְּלִבִּי עַל־דִּבְרַת בְּנֵי הָאָדָם לְבָרָם הָאֱלֹהִים
וְלִרְאוֹת שְׁהֶם־בְּהֵמָה הֵמָּה לָהֶם׃ כִּי מִקְרֶה בְנֵי־אָדָם
וּמִקְרֶה הַבְּהֵמָה וּמִקְרֶה אֶחָד לָהֶם כְּמוֹת זֶה כֵּן
מוֹת זֶה וְרוּחַ אֶחָד לַכֹּל וּמוֹתַר הָאָדָם מִן־הַבְּהֵמָה
אָיִן

In his verbis: *Dixi in corde meo de filiis hominum*, hoc: *de filiis hominum* est, presse juxta Hebraeum: *Super verbo, re filiorum hominum*: res vero intelligitur, quae sequitur: *Vt probaret eos Deus, et ostenderet, similes esse bestiis, idcirco unus interitus est hominis, et jumentorum.* Interitus Hebraice

est *Mikra* a) quae vox significat *eventum*, et rem, quae cuipiam accidit, *et aequa utriusque conditio*: etiam hic pro *conditione* est in Hebraeo idem vocabulum. In versione res tantum patentius expressa est. *Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius.* Vlterius sic adhuc deinde pergit Ecclesiastes in hac eadem re: *Cuncta subjacent vanitati: et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam adscendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?* Vocula *si* est posita more Graecorum pro *an*.

Quod ab Ecclesiaste dicitur, unum esse interitum et exitum hominum, et jumentorum ipsis Judaeis tale visum est, ut, teste Maimonide *in More Nevochim*, et S. Hieronymo *in comment. in Eccles.* de expungendo etiam hoc libro ex Canone librorum divinorum cogitaverint, tantumque ideo ab hoc abstinuerint consilio, quia, tamen initium, et finem libri legi consentaneum censerent. Ob eamdem difficultatem S. Gregorius M. *lib.* 4. *Dial. c.* 4. eo confugit, ut istud, itemque cetera, quae praeterea duriora videntur in hoc libro, poneret Ecclesiastem non in sua, sed aliorum sententia, qui sic sentirent de anima hominis, locutum istud esse. Quod etiam S. Hieronymus in suo Commentario facit, ubi commendatio voluptatis, et eorum, quae demulcent sensus, videtur esse: ubi pariter non suam, sed eorum, qui ex Epicuri schola, et grege essent, sententiam exposuerit Ecclesiastes. Eadem difficultas torsit interpretes etiam postea. Novissime D. Herder in suis Epistolis de Theologico Studio, et Eichhornius in *Introduct. in Vet. Test. part.* 3. assumpserunt, librum esse sic confectum, ut

a) מִקְרֶה

in hoc sermo sit duorum, uniusque ex his juvenis, et quem ipsum Salomonem ponunt esse, quemque praepostere sentientem, et loquentem alter horum duorum loquentium, aetate provectus, et prudentior, corrigat, meliusque instruat.

Nullum vero istius alterne habiti sermonis indicium est uspiam in toto libro: atque in hoc etiam loco ista in sua persona dixisse Ecclesiastem, evidens fit, dum is hinc transeundo ad aliud, de quo deinde orationem instituit, sic ait: *Verti me ad alia, et vidi calumnias: quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem.* Quonam ergo modo unus jumentorum, et hominum interitus, atque aequa tam illorum, quam horum conditio? Istudne a Scriptore, Dei flatu praedito dici, et scribi potuit? Omnino: sed quoad solum corpus. Nam in hujus conditione quoad mortem, atque ejus resolutionem in pulverem nulla inter nos, et cetera animantia differentia est. *Ostenditur nobis*, ait S. Hieronymus ad hunc locum, *quod juxta corporis fragilitatem pecora sumus.* De soloque corpore hoc Ecclesiasten pronunciasse, ex pluribus aliis hujus ejusdem libri locis patescit. In quibus docet, homini etiam post mortem superesse vitam, atque hunc ibi Dei subiturum judicium, tumque successurum adhuc tempus multorum dierum, finisque expers. Hoc docuit in eo etiam loco, qui hunc de aequali conditione hominum, et jumentorum proxime antecessit, *Justum*, inquit, *et impium judicabit Dominus, et tempus omnis rei tunc erit.* V. 17. Infra autem C. 6. v. 8.: *Quid*, inquit, *habet amplius sapiens a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat, ubi est vita?* Rursusque C. 11. v. 7. *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus laetatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum. Qui cum venerint, va-*

nitatis arguentur praeterita. Laetare ergo juvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum, bonum sensus demulcens intelligitur, *in diebus juventutis tuae, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Ipsam etiam sortis bonae, vel malae cujusque hominis aeternitatem sic expressit idem Ecclesiastes: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* C. 11. v. 3.

At vero non quoad corpus tantum, verum etiam animam sensisse Ecclesiastem, eamdem esse homini sortem cum jumentis, haec illius verba possunt videri indicare: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam adscendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Non autem de se Ecclesiastes hoc dixit, quem contrarium, et manere animam hominis post mortem, docuisse, modo adducta documenta testantur. Sed qui jam C. 1. v. 15. stultorum dixit infinitum esse numerum, et qui in toto libro suo deplorat hominum perversitatem hoc dicendo: *Quis novit*, de suo, et de animantium ceterorum spiritu, tantum significavit, paucos esse, qui serio de eo, quod post mortem ipsis instet, cogitarent, sed viverent, quasi non alia ipsorum, quam pecudum sors post mortem esset. Nam et in Psalmo 106. v. 43. dicitur: *Quis sapiens, et custodiet haec, et intelliget misericordias Domini?* non quasi divinae misericordiae opera nemo intelligeret, et secundum haec vitam institueret, sed quod in comparatione contrarie viventium hi pauci essent. Cujusmodi loca Scripturae sunt plura: *Mulierem fortem quis inveniet?* Proverb. 31. v. 10. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum?* Eccl. 31. v. 8.

XXIV.

E C C L. 9. v. 7.

Vade, et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

לֵךְ אֱכֹל בְּשִׂמְחָה לַחְמֶךָ וּשְׁתֵה בְלֶב־טוֹב יֵינֶךָ כִּי כְבָר

רָצָה הָאֱלֹהִים אֶת־מַעֲשֶׂיךָ׃

Eodem tenore, et hoc in loco continuat Ecclesiastes orationem suam, et eadem ratione saepe jam etiam antea locutus est, ut videatur voluptatem, quae ex cibo, potuque, atque aliis similibus rebus, percipitur, homini, tanquam unicum bonum, commendare. In hocce loco sic loquitur ulterius: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Candor festivus color in vestibus, sicut in contrarium earum squalor luctus est indicium. Perfundi ungventis etiam ad lauta convivia pertinet. *Perfruere vita cum uxore, quam diligis cunctis diebus vitae instabilitatis tuae, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuae. Haec est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole.* Pars a) sortem significat, quae cuipiam in vita evenire bona potest. *Quodcunque*

a) חֵלֶק

potest

potest facere manus tua, instanter operare: in captanda videlicet voluptate, de qua antecessit omnis modo sermo. *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Harum voluptatum nullum apud inferos erit opus: hoc est, nihil jam ibi istarum rerum, quibus teipsum oblectare possis, ages: nec erit ratio, *cogitatio* a) cura, studium, occupatio; nec sapientia, et scientia, ad quem nulla jam notitia, et cognitio perventura sit earumdem rerum, quae in hoc mundo jucunde, et hilariter aguntur. Inferi Hebraice *Scheol* b) Hebraeis significat solum etiam sepulcrum, et metonymice pro morte adhibetur.

Loca alia, in quibus Ecclesiastes similiter loquitur, sunt ista: *Et cognovi, quod non esset melius, nisi laetari, et facere bene in vita sua,* sibi facere bene per ea, quae jucunditatem afferunt. *Omnis enim homo qui comedit, et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.* Cap. 3. v. 12. *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur laetitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitae suae, quos dedit ei Deus, et haec pars illius.* Cap. 5. v. 17. Numerus dierum significat paucos dies more loquendi Hebraeis. Sic *homines numeri* c) Gen. 34. v. 30. similiter paucos homines significat. Quod enim parum est, hujus inire numerum facile est. *Laudavi igitur laetitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitae suae, quam dedit ei Deus sub sole.* C. 8. v. 15. Haec ab ipso etiam S. Hieronymo in Commentario ad Cap. 9. Eccl. quemadmodum jam dictum est supra, sic sumpta sunt, quasi

a) חֶשְׁבּוֹן b) שְׁאוֹל c) מְתֵי מִסְפָּר

Ecclesiastes, non quid ipse, sed quod homines voluptarii sentirent, in hac commendatione voluptatis expresserit. At vero etiam omnibus his locis, sic deinde Ecclesiastes ulterius pergit in sua oratione, et transit ad aliud, ut manifeste adpareat eumdem esse, qui superiorem rem de voluptate, ejusque laudatione ex sua etiam sententia dixerit. Sic, ne per omnia loca eam, est C. 9. v. 11. ubi maxime hortari videtur ad sectandam voluptatem omnem, quae ex rebus, quae in hoc mundo sunt, capi potest, *Verti* inquit, *me ad aliud*, *et vidi sub sole*, etcetera.

Ergone juxta ipsum Ecclesiastem, nihil melius est homini in hac vita, quam comedere, bibere, vivere jucunde cum uxore, vestitu, ungventis nitere? Omnino: sed solummodo, quantum attinet ad oblectationem, quae ex rebus mundanis temporalis, et fluxa percipi potest, dum cetera omnia laborem, atque molestiam secum ferrent. Neque vero ista ipsa oblectamenta etiam aliter laudat, quam quod his, quae sunt proprio labore parta, perfrui, sit donum Dei. Nonnisi ergo per modum concessionis ei, qui sibi velit aliquam jucunditatem in praesenti vita facere, hanc se oblectandi rationem ostendit, atque instar honestae remissionis animi ab curis aliarum rerum dat, non quasi in voluptate edendi, et bibendi felicitatis, et beatitatis summam constituisset. Breviter ut dicam, est, quasi dixisset, si vis oblectationem tibi aliquam reperire in hoc mundo, haec una est, animo, ab curis aliarum rerum libero, jucunde convivandi. Tantum enim abest, ut in epulis, et lautitia aliquid absolutae jucunditatis ponat; ut potius confessus sit, seipsum etiam in his nihil nisi vanitatem expertum esse, cum ex his oblectationem sibi quaesivisset, C. 2. v. 4. atque juvenem, dum ei jucunde vivendi libertatem dat, una tamen moneat, quod si in viis cordis sui, et in intuitu oculorum

suorum ambulaverit, hoc est, si cupiditatibus suis frena laxaverit, omne, quod libuerit, fecerit; meminisse debeat, de his omnibus Dei subiturum se judicium. C. 11. v. 9.

XXV.

ISAIAE 6. v. 9.

Et dixit (Deus Isaiae): Vade, et dices populo huic; Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.

וַיֹּאמֶר לֵךְ וְאָמַרְתָּ לָעָם הַזֶּה שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ וְאַל־תָּבִינוּ
וּרְאוּ רָאוֹ וְאַל־תֵּדָעוּ׃ הַשְׁמֵן לֵב־הָעָם הַזֶּה וְאָזְנָיו
הַכְבֵּד וְעֵינָיו הָשַׁע פֶּן־יִרְאֶה בְעֵינָיו וּבְאָזְנָיו יִשְׁמָע
וּלְבָבוֹ יָבִין וָשָׁב וְרָפָא לוֹ׃

Juxta versionem Septv. in qua est, ὀ μὴ συνεῖτε, ὀ μὴ ἴδητε, *Nequaquam intelligite*, *neqvaquam videte*, etiam Latinus interpres vertit, *Nolite intelligere*, *nolite cognoscere.* Quod vero in textu Hebraeo tantum est: *Non intelligetis* a) *et non videbitis*, non perspicietis. b) Neque enim divinae voluntatis, aut mandati ad Judaeos fuit, ne intelligerent, et ne viderent, quod non faciendo perverse egerunt. At vero Deus dicendo Prophetae: *Excaeca cor populi hujus*, *et aures ejus aggrava*, *et oculos ejus claude*, annon tamen voluit, ut Judaei excaecarentur? Etiam de captivitate, quam Judaei subierant per Chaldaeos, Deus Jeremiae dixit: *Ejice illos a facie mea*, *et egrediantur.* Jerem. 15. v. 1. Nec tamen ipse Jeremias illos ejecit: sed sensus est, ut Judaeis annunciaret, et diceret futurum, ut ejiciantur, in captivitatemque ducantur. Perinde ergo, dum Isaiae Deus dixit, excaecaret Judaeos, aures eorum aggravaret, atque oculos clauderet; non hoc in alia re constitit, quam in sola ejus denunciatione. Istud: *Ne forte videat*, est Hebraice: At vero *Pen-jire* istud *Pen* c) non istam semper: *Ne forte*, significationem habet: verum etiam hanc: *alioquin*, demonstrando, quid secuturum sit. Hoc modo est Gen. 3. v. 3. *De fructu ligni*, *quod est in medio paradisi*, *praecepit nobis Deus*, *ne comederemus*, *ne forte* (*Pen*) *moriamur*, ne moriamur: tanquam quod secuturum erat ex esu istius vetiti a Deo fructus, et Levit. 10. v. 7. *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi*, *alioquin* (Pen) *peribitis.* Itaque idem hoc *Pen* etiam in isto, quem tractamus Isaiae loco, hunc sensum facit: Dic illis, futurum, ut excaecentur, et hinc nec visuros esse visionem, nec conversuros se se ad Deum, ut ab eo sanentur.

---

a) אַל־תָּבִינוּ b) אַל־תֵּרָעוּ c) פֶּן־יִרְאֶה

Dum Christus in parabolis ad turbas locutus esset, et ex eo discipuli quaesivissent, cur sic in parabolis loqueretur, respondit: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt, et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis etc.* Matth. 13. v. 13. Etiam Joan. 12. v. 39. est de iisdem Judaeis Christo incredulis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* Pariter S. Paulus eamdem hanc attulit Isaiae prophetiam erga Judaeos, quibus praedicavit Evangelium, tanquam Spiritus s. ore de ipsorum obstinatione editam. Act. 28. v. 25. Rom. 11. v. 8. Ad eos vero Judaeos Isaias missus a Deo est, qui eo tempore, quo ille, vixerunt, ut ipsis diceret: *Audite audientes, et nolite intelligere,* utpote cui dictum a Deo sit: *Vade, et dices populo huic.* Hinc argumentum Neoterici sumunt, quo se putant patefacere, et demonstrare evidentissime, Christum, et Apostolos, illum sibi, hos illi tantum adcommodasse dicta Prophetarum, et nonnisi ista ratione dici vaticinia, et prophetias de Christo. Id, quod jam alibi tractatum est.

At vero in his verbis Christi: *Adimpletur in eis prophetia Isaiae,* estne sensus, et significatio alicujus tantummodo adcommodationis? Nonnisi de ea enunciatione potest dici, esse impletam, quae tendebat ad eam rem ex destinato, ac deinde etiam ita evenit, sicut erat dictum. Nam quod cum eo, quod dictum fuit, solummodo casu congruit, haec praedictio non fuisset, neque hoc impletum dici posset, quod ad illum eventum directum non fuisset. Ex Joanne quoque Evangelista, dum etiam insuper dicit, Judaeos istos Christo incredulos, non potuisse credere, quia istud de eorum obcaecatione

dixerit Isaias, non certe alia ratione, quam quod secus vaticinium, divinitus editum, cassum redderetur, quod fieri non potest; planum fit, et certum, hoc, quod de obcaecatione dictum per Isaiam est, fuisse veram praedictionem, et prophetiam ad Judaeos directam, qui deinde Christi Evangelio refractarii fuerunt.

Quomodo ergo, si haec obcaecatio de illis Judaeis dicta est, qui cum Isaia vixerunt, eadem esse potest de Judaeis, qui aetate Christi, et Apostolorum increduli Evangelio fuerunt? Sunt alibi etiam in Scriptura plura exempla, ubi quod a Deo, vel a Propheta, Dei Spiritu, dictum de quibusdam est, praedictio fuerit eventum habens tantum in illorum successoribus, et posteris. Nam et Jacobo, dum pergeret habitatum in Aegyptum cum tota sua domo, est dictum a Deo: *Ego inde adducam te revertentem.* Gen. 46. v. 4. Quod impletum est tantum in ejus posteris post annos ducentos quinquaginta. Totidem enim annis Israelitae in Aegypto habitarunt. Joseph quoque morti vicinus, dixit suis fratribus: *Post mortem meam Deus visitabit vos, et adscendere vos faciet de terra ista, ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, et Jacob.* Gen. 50. v. 25. Nec iterum isti, ad quos verba fecit Joseph, sed tantum eorum posteri educti deinde ex Aegypto sunt, et collocati in Chananaea. Moyses quoque ad populum praesentem Israeliticum dixerat: *Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo, et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, et reversus fueris ad eum — — reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam.* Deut. 30. v. 1. Quae rursus et dispersio, et revocatio in patriam Israelitici populi, quam huic tunc viventi, et praesenti eventuram dixit Moyses, facta est tantum in eorum posteris. Deinde fuerunt etiam hi Judaei, qui aetate Isaiae vixe-

runt, jam in sua perversitate obstinati, et caeci, atque surdi ad omnes Dei voces, quae ab eo missac ipsis per Prophetas erant. Sic enim est: *Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici! etc.* Isa. 1. v. 3. Dum ergo tam hi, quam eorum successores semper refractarii Deo fuerint, quemadmodum ipsis exprobratum etiam a S. Stephano in concilio est: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui s. resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Act. 7. v. 51. haec denuntiatio facta Judaeis per Isaiam, et illos praesentes, et secuturos generaliter tangebat, et comprehendebat. De secuturis autem hoc eo patentius est ex eo, quod cum Isaias quaesivisset ex Deo, quousque haec Judaeorum obcaecatio duratura esset, is responderit: *Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.* V. 11. Hoc est usque ad finem mundi. Rom. 11. v. 25. Tale, quod in prophetia, et praesentes tangeret, et secuturos, est etiam exemplum in eodem Isaia Cap. 29. v. 13. Nam quod de praesentibus dixerat Judaeis: *Adpropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum, et doctrinis;* hoc idem Christus docuit spectasse in hac prophetia etiam ad Judaeos illius temporis, quo praedicavit Evangelium, dicens: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum.* Matth. 15. v. 7. Neotericis satis non est, Patres Ecclesiae, et interpretes veteres carpere, quasi tantum adcommodassent documenta Scripturae eo, quo ex proposito Scriptoris sacri non spectarent, sed eodem adcommodationis nomine non verentur incessere ipsum etiam Christum, et Apostolos, tantum ne veras prophetias cogantur in Scriptura agnoscere.

XXVI.

ISAIAE. 7. v. 14, 15.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

לכן יתן אדני הוא לכם אות הנה העלמה הרה
וילדת בן וקראת שמו עמנואל: חמאה ודבש יאכל
לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב:

Dum Razin rex Syriae, et Phacee rex Israel, inter se confoederati, bello Achazum regem Juda appetiissent, eo cum proposito, ut hoc e dignitate dejecto, alium suo arbitratu regem Judaeis imponerent, esse hoc ab Isaia pronunciatum non tantum ad Achazum, verum etiam ad universam regiam domum, et familiam, quae in periculo amittendi sceptri erat, jam Part. II. Cap. 35. §. 161. demonstratum est. Isaias missus a Deo ad Achazum venit secum ducens, ut ei mandatum a Deo erat, filium suum parvulum, nomine *Schear Jasub*, regemque sine metu esse jussit, spondens, reges, qui bellum ei intulerunt, non tantum nihil effecturos eorum, quae statuissent, sed sua

potius regna amissuros: et ne dubitaret de promissionis fide, signum sibi a Deo petere, qualecunque vellet, jussit, idque sive in caelo quantacunque altitudine, sive in terra, hujusque similiter quantacumque profunditate. Cum autem Achaz hoc renuisset petere, Isaias, *Audite ergo*, inquit, *domus David*, *Propter hoc*, idcirco, *Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce Virgo concipiet etc.*

Virginem, Hebraice *Halma* a) significare vere virginem, quae illibata integritate est, nemo dubitat, quae in ipsa voce *Halma* etiam significatio est, quae descendens ab *Halam* b) *abscondit*, feminam absconditam, hoc est, viro numquam patulam, atque ab hoc incognitam significat. At licet Aquila, *Juvenculam* hocce loco verterit cum aliis judaizantibus haereticis, qui Graecas Scripturae versiones ex Hebraeo fecerunt subleste, ut vim istius vaticinii enervarent; tamen idem ipse etiam Genes. 24. v. 43. ubi Rebecca dicitur *halma*, non adolescentulam, nec puellam, sed absconditam vertit, quemadmodum est apud S. Hieronymum in Commentario. Matthaeus Evangelista postquam retulisset, Mariam cum desponsata esset Josepho, antequam cenvenirent, inventam esse in utero habentem de Spiritu sancto, deinde subjecit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Matth. 1. v. 22.

Ne istud vim in Isaia prophetici oraculi erga Christum haberet, tam Tryphon in dialogo, quem cum eo habuit S. Justinus, quam alii doctores Judaeorum, hujus virginis filium, de qua loquitur Isaias, vel Ezechiam

---

a) עַלְמָה b) עָלַם

Achazi regis filium, vel eum, quem adhuc deinde suscepturus erat ipse Isaias, contendunt intelligendum esse. Eodem modo ad hunc Isaiae filium retulit haec Isaiae verba Grotius, generatimque omnes interpretes novi negant hanc de Christo prophetiam esse. Nec hos movet Matthaei auctoritas, dum jam adcommodationem paratam habent, quam Evangelistis, atque ipsi etiam Christo dent, dum testimonia Prophetarum proferunt, et impleta esse testantur. Esset vero hoc ab illis probandum, non tantum nude asserendum. Qui tamen quocumque se vertant, ut alium quempiam puerum, e virgine natum, reperiant, cui haec Isaiae verba adcommodent; ubique in ejusmodi difficultates incidunt, ex quibus se expedire nesciant, aeque ut Judaei, virginem non aliam in his Isaiae verbis ponendo, quam quae tantum virgo aliquando fuerit, non talis perstiterit concipiendo, et pariendo filium. Nam primo, iste filius, quem virgo haec, de qua Isaias loquitur, conceptura, et paritura erat, non potuit esse Ezechias Achazi filius, sub quo Achazo rege edita haec prophetia est. Siquidem jam annos natus quinque, et viginti patri successerit in regno, postquam sex, et decem annos tantum hoc tenuisset pater: 4. Reg. 16. v. 2. Cap. 18. v. 2. qui proinde Ezechias annum aetatis jam nonum agebat, dum Achaz rex factus esset. Nec Isaiae filius iste intelligi potest, quem suscepturus erat postea, et de quo suscepto ab eo, et nato, fit sermo deinde subsequentis capitis 8. v. 3. Nam ut huic filiolo suo nomen imponeret: *Accelera spolia detrahere*, *Festina praedari* ad significandum hoc nomine, quid eventurum regibus Syriae, et Samariae esset, antequam iste puerulus scivisset appellare patrem suum, vel matrem, fuit Isaiae a Deo imperatum. Ei vero filio, quem Virgo conceptura, et paritura erat, futurum erat nomen Emmanuel. Nec prophetissa haec prophetae Isaiae uxor virgo dici potuit hoc tempore, quo de Virgine paritura hanc prophetiam

Isaias edidit, qui jam tunc filium ex hac sua uxore prophetissa habuit, quem secum puerulum ad Achazum regem duxerat. Minus vero filius iste ex Virgine nasciturus intelligi potest iste alter, quem secum Isaias ad regem duxit, nomine *Sohear Jasub*: utpote qui jam tum cum patre suo gradi sciens, iste filius esse non poterat, qui tantum adhuc nasciturus erat.

Harum una aliqua ratione, cum isti, de quibus dictum est, hoc a Christo vaticinium detorquere conati, usi in sua explicatione essent, novam in suis Adnotationibus David Michaelis interpretationem excogitavit, videns nullam priorum posse subsistere. Ponit nec Ezechiae matrem, nec Isaiae uxorem fuisse hanc virginem, de qua ab Isaia dictum est: *Ecce virgo concipiet*, sed virginem intelligi nullam certam, tantumque aliquam, quae tunc adhuc virgo, et a viro intacta deinde virum acceptura, statim ex hujus commercio paritura filium esset, et quod tempus novem mensium, ab inito matrimonio usque ad partum, pro signo, et termino Isaias regi Achaz dederit suae liberationis ab hostibus, quos formidabat. Etiam declarat, quomodo istius feminae filius vocatus sit Emmanuel: cui videlicet Achaz deinde hoc nomen indiderit, vel saltem, ut diceretur, occasionem dederit exclamando: *Deus nobiscum est*, spe concepta proxime affuturi auxilii divini ex vaticinio Isaiae. Et fortasse, inquit, aliqua virgo coram rege eo tempore stabat, quam Isaias demonstraverit, et cujus partum regi in signum dederit.

Homines isti fingunt, quod ipsis libet, suo igenio, sicque dexterrime scilicet Scripturas sacras interpretantur, figmenta sua, atque somnia obtrudendo pro rebus, quae sunt in Scriptura. Nam cur Evangelistae non creditur, testificanti totum illud, quod narraverat de desponsatione Mariae cum Josepho, prolisque conceptione ex Spiritu s. factum esse, ut adimpleretur, quod dictum

est a Domino per Prophetam dicentem: *Ecce Virgo in utero habebit etc.* a) Est deinde in Hebraeo *Halma* b) cum articulo demonstrativo, út eum vocant, et quo non vago modo virgo quaepiam significatur, sed quaedam certa. De virgine deinde dicitur, quod sit conceptura, et paritura filium. Non est autem jam virgo, quam primum a viro cognoscitur: nec proinde potest de ea femina istud recte dici, virginem concepisse, et peperisse, quae cognita fuit viro. Et quod eo magis de virgineo, et illibati pudoris partu hic in Isaia intelligendum est, quod is illum tanquam signum, et singulare quoddam prodigium domui Davidis dederit. Nam petere jusserat Achazum sibi signum a Domino in profundum inferni, sive in excelsum supra. Cum autem ille recusasset sibi signum petere; tunc Isaias, culpato Achazo, quod hanc signi oblationem, sibi a Deo factam non acceptasset, *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet etc.* Signum quod oblatum est Achazo, ut peteret, verum fuit signum, et verum prodigium. Quia vero ille hoc petere noluit, dicit Isaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Tale ergo hoc, quod Dominus ipse daturus erat, intelligitur fuisse signum; quale erat, quod petere jussus est Achaz. Secus in locum signi ab Achazo recusati, non fuisset a Deo signum aliud datum, quod tamen Deum daturum Isaias testabatur. Et vel ex nexu sermonis evidenter apparet, dum continuatio sermonis de signo est, signum sic esse

a) Ne cui tamen scrupulus fieret ex auctoritate Evangelistae, dicit posse ab Evangelio Matthaei duo prima ejus capita abscindi, et pro additamento haberi facto per eum, qui Matthaeum ex Hebraeo in Graecum vertit: idque post Joannem William Anglum. Qua de re adhuc postea ad *Nrum* XXXII. plus aliquantulum dicetur.

b) הָעַלְמָה

sumendum in oratione subsequente, quemadmodum sumptum fuit in antecedente, nisi pervertatur omnis mos, et ratio loquendi.

Etiam vero et illi nexum orationis pro se praetendunt. Nam verba: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium*, non pertinere ad Christum. Siquidem V. 16. sic continuetur oratio: *Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Est sermo Prophetae directus ad Achaz. Terra, quam detestabatur, intelligitur terra hostilis Syriae, et Samariae, et de qua dicitur futurum, ut harum reges prius exurrentur suis ditionibus, quam puer reprobare sciat malum, et eligere bonum, hoc est, ad eam aetatem perveniat, ut ratione uti incipiat. Razinum regem Syriae interfecit Theglatphalassar rex Assyriae, Phacee regem Israel occidit Osee, et regnum occupavit. 4. Reg. 15. v. 30. C. 16. v. 9. Hoc ergo ajunt, ad Christum pertinere non posse, qui annis tantum septingentis post nasciturus erat. Neque omnino pertinet jam ad Christum, sed est de *Schear-Jasub*, quem filiolum suum Isaias secum, jubente Deo, ad Achazum duxerat, ut metum ei demeret, quo trepidabat. Nam quamvis V. 14. et 15. qui hunc V. 16. proxime antecesserunt, in vaticinio Isaiae sermo fuerit de Christo, modo tamen in hoc V. 16. jam Isaias non loquitur de filio, quem Virgo sit editura, sed de puero. Puer autem iste est *Schear-Jasub*: qui cum patri suo coram rege adstaret, non aliud opus fuit, ut rex intelligeret, de quo puero jam nunc sermo esset, quam ut ad hunc se Propheta verteret, et gestu hunc signaret. Nam cur hunc secum Isaias jussus esset a Deo ducere ad regem, editurus ei vaticinium, nisi iste alicui usui esse debuisset? Quem vero nullum praestitisset in toto hoc actu, nisi illum in finem ductus ab Isaia ad regem fuisset, ut ex monstratione pueruli, qui jam gradi sciens proximus aetati esset, in qua se ratio in puero explicaret,

rex intelligeret, quam brevi visurus esset hostes suos dejectos. Etiam capitis subsequentis octavi V. 28. *Ecce ego* inquit Isaias, *et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel.* Ergo cum ille alter filius, quem adhuc suscepturus erat Isaias, nomen sibi a Deo impositum habens: *Accelera spolia detrahere, festina praedari*, suo hoc nomine signasset futurum, ut qui duo reges Syriae, et Samariae ad regem Juda spoliandum regno venerant, belloque lacessiverant, ipsi praeda fierent hostibus suis; alter, *Schear-Jasub*, a patre ad regem ductus, pertinebat ad signum regi dandum ex sua aetate, de celeritate suae liberationis ex metu hostili.

Signum autem: *Ecce Virgo concipiet* etc. sic se habebat. Erat Davidi a Deo promissa perpetuitas regni, quaeque promissio spectabat ad Christum. 2. Reg. 7. v. 16. Luc. 1. v. 32. Achaz metu trepidabat, ne thronum sibi, suisque posteris, atque Davidicae stirpi perderet in aeternum. Anxio, et sollicito Achazo licet de suo tantum terrestri regno, totique regiae familiae renovatur promissio, de illo ex stirpe Davidis rege, cujus regnum futurum esset perpetuum, utpote qui futurus esset Emmanuel, quod pertinebat adversus Achazi, et regiae familiae metum de amissione regni in perpetuum: hujus vero divinae promissionis confirmationi, quoniam signum cujus petendi facultas fuit Achazo recusasset; signum a Deo additum est non praesens, sed futurum, tantumque vaticinando de hujus in Davidis throno successoris, et regis perpetui, quique vocandus sit Emmanuel intemerato ex virgine matre partu. Ad praedicendam vero, et vaticinandum Achazo suam ab hostibus liberationem, istorumque interitum, erant in signum dati ipse Isaias, vaticinium afferens regi, et duo ejus filii, quorum alter sua aetate, alter nomine suo portenderet, quis exitus illius belli futurus proxime esset.

Christus vero hocce nomine Emmanuelis usus non est. *Nihil* autem *aliud est illud*: *Vocabunt Emmanuel*, sunt verba S. Chrysostomi hom. 5. in Matth. *quam videbunt Deum cum hominibus*. Hocce modo etiam de Christo Luc. 1. v. 32. est: *Filius Altissimi vocabitur*, hoc est: Filius erit Altissimi, similiterque De Joanne Bapt. est: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis* Luc. 1. v. 76. Cum autem per Emmanuelis nomen Christi divinitas fuisset expressa, per butyrum, cui in Hebraeo respondens vocabulum a) tam butyrum, quam florem dulcem lactis significat, et mel, quibus alere infantes moris esset, exprimebatur, eumdem Emmanuelem etiam verum futurum hominem, qui natus ex matre, eadem ratione alendus, qua alii infantes, e incrementum capturus esset aetatis.

---

a) חֶמְאָה

XXVII.

ISAIAE 45. v. 14, 15.

Haec dicit Dominus: Labor Aegypti, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: post te ambulabunt, vincti manibus pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus Israel Salvator.

כֹּה אָמַר יְהוָה יְגִיעַ מִצְרַיִם וּסְחַר־כּוּשׁ וּסְבָאִים אַנְשֵׁי
מִדָּה עָלַיִךְ יַעֲבֹרוּ וְלָךְ יִהְיוּ אַחֲרַיִךְ יֵלֵכוּ בַּזִּקִּים יַעֲבֹרוּ
וְאֵלַיִךְ יִשְׁתַּחֲווּ אֵלַיִךְ יִתְפַּלָּלוּ אַךְ בָּךְ אֵל וְאֵין עוֹד אֶפֶס
אֱלֹהִים׃ אָכֵן אַתָּה אֵל מִסְתַּתֵּר אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל
מוֹשִׁיעַ׃

Et jam superiore capite, et in hoc ab initio antecessit sermo de Cyro, cujus Christi sui, hoc inaugurati sui, regia videlicet dignitate, Deus dextram apprehenderit, ante cujus faciem gentes subjecerit, dorsa regum verterit, coram quo portas urbium aperuerit, et cui

thesauros absconditos dederit. Deinde autem V. 8. sequitur: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.* S. Hieronymus in Commentar. docet, fuisse aliquos, qui etiam hoc de Cyro dictum esse putaverint: alios vero, sensisse, esse initium sermonis, et prophetiae de adventu Domini: quam suam etiam esse sententiam ostendit. S. Augustinus lib. 5. de Haeres. c. 4. dicit, haec de Incarnatione Christi tam clare esse, ut interprete non indigeant, et Oper. Imperf. cont. Julian. lib. 1. c. 140. *Dic mihi*, inquit, *quem justum nubes pluerunt, nisi quia Prophetae, et Apostoli Christum praedicaverunt, qui ex ipso Virginis utero, cum justitia natus est? Vnde cum dictum esset: Aperiatur terra, et germinet Salvatorem, mox additum est, et justitia oriatur simul.* Idem asseruit S. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Isa. orat. 2. De Cyro fuit V. 5. *Accinxi te, et non cognovisti me*, Deusque hoc ei objicit. Qui ergo Deum non agnovit, non coluit, nec justus esse potuit: et tanto minus cum eo, dum nasceretur, orta simul justitia est.

De eodem hoc Justo V. 13. Deus loquitur ulterius: *Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam: ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.* Cyrus captivos Judaeos libertate donavit, in patriam remisit, facultatem templi aedificandi iis concessit, quin sumptus quoque liberalissime assignavit ad fabricam ejusdem templi. Reditus ille Judaeorum ex captivitate, et templi instauratio typice adumbravit libertatem, quam nobis Christus praestitit, et Ecclesiam fundatam, aedificatamque per omnium gentium conversionem ad Deum, atque in unum coetum populi Dei coitionem. Id, quod deinceps planum fiet ex his, quae dicentur infra Nro 29. ad Jerem.

31. v. 15. et ex multis aliis locis. Postquam ergo, quid per Cyrum futurum erat, demonstratum prophetice esset, ut quo pertineret is Judaeorum reditus ex captivitate, atque templi eorum instauratio, appareret, de ipso Justo Christo fundebatur prophetia.

Haec dicit Dominus: Labor Aegypti, et negotiatio Aethiopiae, et Sabaim, viri sublimes, ad te transibunt. Ad hunc videlicet, quem Deus suscitavit ad justitiam: hoc est, sub cujus imperium, et ditionem venturus sit labor Aegypti, id est, opes labore partae, negotiatio Aethiopiae, merces, quibus Aethiopes negotiantur, et Sabaei, viri sublimes, presse juxta Hebraeum, *homines mensurae* a) id est, staturae procerae. Num. 13. v. 33. Subjectio itaque gentium erga hunc Justum exprimitur: quae dum in ditionem alterius cedunt, harum etiam opes, et res omnes sub potestatem hujus cadunt. Psal. 71. v. 10, 11, 15. Isa. 60. v. 6. 9. Quo etiam pertinent, quae sequuntur: *Et tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Haec omnia, cum Judaei violenter ad Cyrum referrent, ipsum quoque hoc: *Tantum in te est Deus, et absque te non est Deus,* virtutem divinam interpretantes, quae tantum fuerit in Cyro ad debellandas potentissimas gentes, quamque habuerit nonnisi ab eo, qui solus est Deus, adhaerescerent autem in verbis: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator,* ne divinitatem Messiae hoc in loco deberent confiteri; haec extrema verba: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator,* Prophetae apostrophen ad Deum dixe-

---

a) אַנְשֵׁי מִדָּה

runt esse. Quos vero redarguit citato loco S. Hieronymus, quod hanc apostrophen adstruerent manifeste adversus contextum orationis. *Cum*, inquit, *etiam stultis perspicuum sit, unum esse contextum sermonis, nec posse sensum dividi, qui in ipso narrationis ordine, et ratione conjunctus est.*

Haec, quae Judaei ad Cyrum referunt in hocce loco, Neoterici asserunt esse dicta de Jerosolyma, ad quam laborem Aegypti, et negotiationem Aethiopiae, et Sabaim viros sublimes transituros, ejusque futuros, post eam ambulaturos, eamque adoraturos, et deprecaturos, et in qua tantum esse Deum, absque quo non sit Deus, praedicatum sit. In apostrophe facienda in ultimis verbis: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*, cum Judaeis conveniunt. In eo autem se fundant, quod pronomen ubique *ad te* a) transibunt, *tui* b) erunt, *post te* c) ambulabunt, *te* d) adorabunt, deprecabuntur, tantum *in te* e) est Deus, in genere sit feminino.

Jam vero unum esse contextum orationis, cum, ut inquit S. Hieronymus, etiam stultis perspicuum sit, tum vero, velim, etiam advertatur, post haec Prophetae verba: *Haec dicit Dominus*, esse deinde haec verba, de quibus modo agimus, ipsius Dei, et quae etiam ulterius continuantur. Cum ergo Dei verba haec etiam sint: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*, in his non est apostrophe, quam Propheta fecerit ad Deum. Cui vero dictum a Deo est: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*, huic etiam cetera dicta sunt ab eodem Deo, quae antecesserunt: *Labor Aegypti — — tantum in te est Deus, et non est absque te Deus.* Ergo haec nec ad Cyrum, neque ad Jerusalem dici potuerunt: siquidem de neutro istud etiam

---

a) עָלַיִךְ b) לָךְ c) אַחֲרַיִךְ d) אֵלַיִךְ e) בָּךְ

dici potuerit: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Sed pronomina sunt omnia in genere feminino. Quonam modo itaque haec cohaerebunt? Verum est secundum puncta Masorethica esse pronomina in genere feminino: sine his autem omnia, quae generis feminini sunt, possunt esse etiam in genere masculino, prout S. Hieronymus illa etiam vertit. Deinde, si Judaei ipsi haec, quae sunt feminina secundum puncta Masorethica sic legissent per genus femininum, istane ad Cyrum retulissent, et Cyro tribuissent? utque de Cyro acciperent, repugnante feminino genere, inciderene iis potuisset? annon ipsi quoque genus hoc femininum arripuissent, unde a Christianis haec interpretantibus de Christo, et adversus se se disputantibus nullum non modo incommodum accipere, sed hos potius ipsi premere potuissent? Genus ergo hoc femininum nondum tunc suboluerat Judaeis, et puncta Masorethica feminini generis non sunt apposita recte. Haec masculini generis sunt etiam apud Paraphrasten Chaldaeum. Taceo, quod vel ulla ratio possit esse, ut Jerosolyma possit intelligi, quemadmodum volunt Neoterici: siquidem ejus mentio, et nomen debuisset alicubi antecedere, ut pronomina referri ad eam possent, utpote quorum est vicem sustinere nominum, quae jam nota ex antecessione sunt: cujus vero Jerusalem nomen, vel mentio nulla antecessit. Ergo quemadmodum hoc: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator, ad alium dici a Deo non potuit, quam ad Deum Christum, ita cetera quoque, quae antecesserunt, sunt aeque dicta a Deo ad eumdem Christum.

XXVIII.

I S A I A E 50. v. 6.

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

גֵּוִי נָתַתִּי לְמַכִּים וּלְחָיַי לְמֹרְטִים פָּנַי לֹא הִסְתַּרְתִּי מִכְּלִמּוֹת וָרֹק׃

Quisnam iste sit, qui haec de se dicit, ut intelligatur, considerandа antecedentia sunt. Antecessit autem hujus capitis V. 1. *Haec dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos?* Presse juxta Hebraeum: *Vbi hic est liber repudii matris vestrae?* a) Judaeis haec posita est interrogatio, quorum mater fuit vetus Jerusalem, et synagoga. Haec itaque intelligitur a Deo dimissa esse, et repudiata. Stilo autem prophetico res quasi jam facta ponitur, quae tantum adhuc futura erat. Judaei itaque provocantur ad exhibendum repudii libellum, qui datus a Deo matri eorum est, unde quam ob causam dimitti meruerit, palam fieret. Quis,

a) אֵי זֶה סֵפֶר כְּרִיתוּת אִמְּכֶם

inquit, est creditor meus, cui vos, quasi necessitate compulsus, vendiderim? *Ecce in iniquitatibus vestris* (ob iniquitates vestras) *venditi estis, et in sceleribus vestris* (ob scelera vestra) *dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir; vocavi, et non erat, qui audiret.* Non erat vir, Hebraeis idem significat, quod: nullus erat. Nullus vero intelligitur fuisse, qui venientem suscepisset, ut se ei morigerum praeberet: quod apertius est in subsequentibus verbis: *Et non erat, qui audiret.* Quis autem iste Dei adventus fuit ad Judaeos? Infra Isaiae 59. v. 1. idem hoc repetitum est a Deo ad eosdem Judaeos, dumque horum iniquitates, et flagitia recensita essent, et denunciata ultio, dicitur futurum, ut Deum venientes ab occidente, et ab ortu solis timeant, ubi Sioni venerit Redemptor. V. 16, 20. Nam iste timor Dei effloruit per Christi Evangelium in universo mundo. Ex quo itaque obscurum non manet, hunc etiam in praesenti loco Dei adventum ad Judaeos intelligi, dum Christus venit in mundum.

Numquid, Deus ulterius ad eosdem Judaeos loquitur, *abbreviata, et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti.* Prodigia haec sunt, quae Deus olim fecit in mari Rubro, in fluminibus Jordane, et Nilo, et unde ejus potentia cognosci possit. Increpasse Deum tunc mare Rubrum, est etiam Psal. 105. v. 9. Christus pariter increpavit ventum, et tempestatem, sedaturus fluctus, quibus navicula, in qua Apostoli erant, jactabatur. Luc. 8. v. 24. Vis autem divinae potentiae per increpationem exprimitur, ad cujus vocem contremiscant elementa omnia, et propere exequantur, quod ipsis imperatum a Deo est. *Induam caelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum.*

Hoc quoque unum ex illis prodigiis est, dum Aegyptii triduum affecti fuissent crassissimis tenebris, et quae Deus, si vellet denuo facere, suae docet potentiae esse. *Dominus dedit mihi lingvam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam, quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Is, Dominus, in Hebraeo *Jehova*, qui a versu primo hujus capitis loquebatur; qui Judaeorum matri dedit libellum repudii, eo, quod cum venisset, nemo vocantem audire voluerit; quique suae potentiae docuit esse, desertum facere mare, flumina ponere in siccum, caelosque induere tenebris; idem iste dicit sibi a Domino datam esse lingvam, auremque erectam, atque apertam, et cui non contradixerit, nec retrorsum abierit. Neque tantum hoc dicit, verum istud quoque, quod sequitur: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Qui se Deum praedicat, eamque de se potentiam, quae divina est, et cujusmodi sunt illa opera, quae dicta sunt, is verus Deus est. Qui vero idem Deus aures suas praebuit Deo erectas, et patulas, hoc est, qui factus est ei obediens, qui corpus suum dedit percutientibus, genas vellentibus, et faciem suam non vertit ab increpantibus et conspuentibus ipsum, non nisi Deus homo esse potest. Neque ergo in quemquam alium etiam haec possunt convenire, quam in Christum. Atque huic omnino erudita data est lingva, ut sciret sustentare eum, qui lassus est verbo, id quod pressius est juxta Hebraeum: *ad sciendum loqui opportune verbum lasso.* a) Nam „Spiritus Domini super me, eo

---

a) לָדַעַת לָעוּת אֶת־יָעֵף דָּבָר

„quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansve„tis misit me, ut mederer contritis corde, et praedica„rem captivis indulgentiam , et clausis apertionem.“ Isaiae 61. v. 1. Huic Deus mane mane erexit aurem ad audiendum, utpote qui secundum humanam naturam etiam Dei vocatur servus. Isa. 53. v. 11. Mane, autem Hebraica loquendi consvetudine, significat alacritatem actionis, atque adeo promptissimam Dei voluntatem, qua is Christum in hac forma servi misit in mundum. Quo apertio etiam aurium in Christo pertinet. Cuique simile apud Psaltem de eodem Christo est: „Sacrificium, et „oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: ho„locaustum, et pro peccato non postulasti. Tunc dixi: „Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut fa„cerem voluntatem tuam. Deus meus volui, et legem „tuam in medio cordis mei.“ Psal. 39. v. 7. Quod explicans S. Paulus. „In qua, inquit, voluntate sanctificati „sumus per oblationem corporis Jesu Christi.“ Hebr. 10. v. 10. Non contradixit Christus, nec retrorsum abiit. Nam Patri factus est obediens usque ad mortem. Phil. 2. v. 8. Eumdem Christum colaphis etiam esse caesum, derisum, atque consputum, ex Evangelio scitur. Matth. 26. v. 67.

Locus ergo iste Isaiae ita praedicat non tantum obedientiam Christi, et contumeliosas poenas, quas sustinuit, sed una illius etiam divinitatem in tanta ejus humilitate, et demissione ad ignominiosam usque percussionem in faciem, et per sputa dofoedationem. Idem quoque clare exhibet alteram Christi divinam personam, et alteram Dei Patris. Docet S. Hieronymus in Comment. Judaeos, quemadmodum omni ratione conentur evertere de Christo prophetias, et ad perversam intelligentiam prava interpretatione torquere, ita eos in hoc etiam loco fecisse, et quod de Messia hic est, in ipsum Isaiam transtulisse. Quomodo autem, quae divinitatis sunt, huic

possunt competere, quae iste idem, qui corpus suum dedit percutientibus, genas suas vellentibus, quique a sputis in faciem suam jactis, se non avertit, praedicat de se?

XXIX.

JEREMIAE 31. v. 15—17.

Hoc dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. Haec dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici, et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos.

כֹּה אָמַר יְהוָה קוֹל בְּרָמָה נִשְׁמָע נְהִי בְּכִי תַמְרוּרִים
רָחֵל מְבַכָּה עַל־בָּנֶיהָ מֵאֲנָה לְהִנָּחֵם עַל־בָּנֶיהָ כִּי
אֵינֶנּוּ׃ כֹּה אָמַר יְהוָה מִנְעִי קוֹלֵךְ מִבֶּכִי וְעֵינַיִךְ מִדִּמְעָה

כי יש שכר לפעלתך נאם יהוה ושבו מארץ אויב:

ויש־תקוה לאחריתך נאם יהוה ושבו בנים לגבולם:

Rachel fuit mater duarum tribuum, Ephraim, et Manasse, quae cum ceteris regni Israel tribubus per Salmanassarem Assyriorum regem 4. Reg. 18. v. 9. ductae in Assyriam in captivitatem sunt. Huic itaque illorum casui, Rachel, tamquam tenera mater, indolens, atque hunc deplorans, inducitur jam defuncta, per figuram orationis, quae prosopopoeia vocatur. Vox in excelso audita est, significat elationem vocis, qua lamentata sit. In Hebraeo autem *Rama*, et istud appellative excelsum, atque altum significat, et est etiam nomen proprium loci in tribu Benjamin: in cujus vicinia etiam sepulcrum fuit Rachelis, utpote sepulta non longe a Bethlehem, Gen. 35. v. 19. quae fuit civitas tribus Juda; cui Bethlehemo Rama vicina fuit. 1. Reg. 10. v. 2. Siquidem Rama Saul abiens, ubi apud Samuelem erat, ad sepulcrum Rachel in itinere suo omnium primo deinde venerit. Huic Racheli ad eam consolandam dicitur, ut cesset a fletu, quae hujus suae pietatis, et animi materni in filios suos fructum reportatura sit. Nam istos esse redituros ex terra inimici, atque hostili, quo ducti in captivitatem sunt. Vbi Matthaeus Evangelista stragem memorasset, quam Herodes edidit infantium, ut promiscua caede ipsum etiam e medio tolleret recenter natum Christum, deinde subjecit: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Matth. 2. v. 17.

Refert S. Hieronymus in Commentario ad hunc Jeremiae locum, istud, quod de plorante Rachele est, Judaeorum quosdam intellexisse de ea Judaeorum cala-

mitate, quando capta Jerosolyma sub Vespasiano infinita millia captivorum Romam ducta ea via sunt, quae est in vicinia sepulcri Rachelis; alios vero ex iisdem de captivitate, quam subierunt sub Hadriano, et quo tempore prope idem sepulcrum innumerabilis multitudo Judaeorum venumdata sit. Post istos David Michaelis non tantum idem adstruxit in Adnotationibus suis, sed et infantium caedem, patratam per Herodem, his adversis casibus Judaeorum adjunxit directe, et juxta literalem sensum, quam Jeremias, dando ploratum Racheli ob amissos suos filios, hocce loco vaticinatus sit. At vero in hoc literali sensu, ubi istud solatium Rachelis est ex recuperatione filiorum suorum, quos Romani partim neci tradiderunt, partim per totum terrarum orbem disperserunt? Anne hi Judaei, qui nunc etiam dispersi sunt, aliqnando redituri, suamque iterum sedem, atque regnum habituri in Palaestina sunt? Infantesne etiam, quos Herodes occidit, jam ista ratione recepit Rachel, aut receptura unquam est? Nempe, quemadmodum Judaei nihil ultra, quam quod temporale, atque ad illud pertinens est, quod terrestre regnum habuerunt, in prophetiis videre volunt; ita idem, sic prophetiam hanc explicando, facit David Michaelis. Alii autem ex Neotericis, et unus, alterve etiam eorum, qui bene morati interpretes sunt, nominatimque Calmet, difficultate pressi interpretationis, tantum adcommodationem volunt esse, qua Matthaeus usus sit dicendo, hoc Jeremiae vaticinium, in quo proponitur Rachel plorans ob filios suos in captivitatem ductos in Assyriam, impletum in caede infantium esse, quam Herodes perpetravit. Vt autem bona adcommodatio sit, inter hoc, quod adcommodatur, et illud, cui fit adcommodatio, aliqua similitudo debet intercedere. Qualisnam vero similitudo est inter Israeliticas tribus in captivitatem ductas, praedictionemque de earum ex captivitate reditu, et infantes ab Herode occisos? Quarum tribuum captivitas etiamsi quam maxime

similis haberi posset occisioni infantium, ubi tamen in hac caede infantium quidpiam etiam erit, quod cum consolatione, ex reditu tribuum in patriam suam, convenientiam aliquam habeat? Infantesne hi occisi etiam sic ad vitam redierunt, quemadmodum illae tribus ex captivitate reversae sunt, in quam abductae fuerunt? Neque vero etiam res in hac prophetia de captivitate Israeliticarum tribuum, et earum ex hac reditu, in literali sensu potest pertinere ad significandam caedem infantium, factam per Herodem. Quid igitur superest?

Antecessit praedictio facta per Jeremiam per plura libri hujus capita de eversione Jerosolymae, et Judaeorum captivitate, quam deinde subierunt ducti in Babyloniam. Quod ut appareat, aliqua loca hujus praedictionis proferam. Est Cap. 25. v. 9. *Ecce ego mittam, et adsumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor servum meum, et adducam eos super terram istam, et super habitatores ejus, et super omnes nationes, quae in circuitu illius sunt, et interficiam eos, et ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas.* C. 26. v. 6. est: *Dabo domum istám* (templum Jerosolymitanum) *sicut Silo, et urbem hanc in maledictionem cunctis gentibus terrae.* Deinde vero Cap. 30. v. 1. Deus spondet liberationem ex captivitate. *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israel, et Judá, et possidebunt eam. — — Conteram jugum ejus* (jugum pristini temporis intelligitur afflicti) *de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Cap. 31. v. 8. est: *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terrae: inter quos erunt caecus, et claudus, praegnans, et pariens simul, coetus magnus rever-*

tentium huc. Atque sic procedit vaticinatio Jeremiae usque ad hunc locum de Rachelis ploratu, ejusque consolatione ex reditu filiorum illius in patriam suam. Eodem modo de liberatione ex captivitate, et de bonis, quibus Deus eumdem populum suum, assertum in libertatem, cumulaturus, favoreque, quo hunc complexurus sit, etiam ulterius continuatur eadem vaticinatio. Inter quae V. 31. istud quoque est: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam, domui Israel, et domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum* etc. Quam rem de promissione novi foederis, vi cujus Dei lex data est, atque inscripta cordibus per Dei Spiritum, datum in corde credentium, pertinere ad novum testamentum, et ad illos Israelitas, qui per fidem in Christum facti sunt filii Abrahae, cum per seipsum clarum est; tum hoc idem constat ex S. Paulo ad Hebr. 8. v. 8. C. 10. v. 16. Sed etiam superiora, ante eum locum de Rachelis ploratu, et solatio, quae produxi, spectare ad illum, qui in novo testamento per fidem in Christum facti sunt Israeliticus populus, manifestum est. Nam rex David, quem se Deus illis suscitaturum spopondit, nec alter profecto intelligitur, quam ipse Christus. Nec per caecos etiam, atque claudos, praegnantes, et parientes, qui ad iter faciendum inepti sunt, et quos tamen Deus ab extremis terrae se adducturum dixit, alii intelliguntur, quam qui sicut credendo in Christum, inserti sunt ad Dei populum, et ad progeniem Abrahae; ita simul atque suscepti ad

Christi Ecclesiam sunt, Jerosolymam, atque in Sionem pervenerunt, istiusque incolae, atque cives effecti sunt. Qua ratione Jerosolymae, et Sionis nomine significari Ecclesiam novi foederis, et per Judae, et Israelis liberationem ex captivitate, in qua fuerunt in Assyria, et Babylonia, esse designatam libertatem, quae nobis donata est per Christum, plenae omnes Literae sacrae sunt utriusque testamenti. a) Ex quo porro sequitur, etiam istud, quod in praesenti loco, quem tractamus, de consolatione, et solatio Rachelis ex filiorum ejus reditu ad patriam est, pertinere ad significationem eamdem conversionis gentium, quos Deus Abrahamo filios dedit in locum eorum, qui secundum carnem ejus erant filii, cum hos a se abjecisset. *Non, qui filii carnis*, ait S. Paulus, *hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.* Rom. 9. v. 8. et: *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes.* Gal. 3. v. 29. Quod si Abraham, Isaac, et Jacob patres eorum sunt, qui per fidem sunt filii Dei; ergo horum matres etiam sunt Sara, Rebecca, Lia, Rachel, utpote patriarcharum istorum conjuges. Inter filios Dei, cum igitur pertinerent infantes ab Herode interfecti, et idcirco etiam Abrahae semen essent, divinae promissionis Abrahamo factae haeredes, et quos, quamvis ex hac temporali vita exturbatos per Herodem, tamen Abraham et Rachel recuperaturi erant in illa terra et regione, quam Deus Abrahamo, atque ejus posteris se in aeternam possessionem daturum spopondit, (Vide, quae demonstrata sunt supra Archaeologiae cap. 4. §. 11. de terrae istius significatione, quam in Chananaea Israelitae in

a) Psal. 2. v. 6. Isa. 28. v. 16. C. 52. v. 1. Rom. 9. v. 33. Hebr. 12. v. 22. 1. Petr. 2. v. 6. etc. Ezech. 11. v. 17. C. 36. v. 24. C. 37. v. 21. Amos. 9. v. 11. Confer cum Act. 15. v. 16. etc.

possessionem acceperunt) idcirco merito ad hos etiam infantes Matthaeus hoc Jeremiae vaticinium extendit. Vtpote in quo comprehenderentur, dum sub typo Abrahae, aliorumque patriarcharum, ipsiusque Rachelis filiorum nomine, revertentium ex captivitate, intelligerentur omnes ii, qui filii Abrahae per fidem reversuri essent ad incolendam, et possidendam illam regionem caelestis patriae, unde cum excidissemus, atque expulsi essemus ob peccatum primi nostri parentis, in quo peccavimus omnes, revocati eodem per Christum sumus, et in quem credendo insiti in progeniem Abrahae, ejus regionis, quam Deus illi, atque ejus posteris promisit, haeredes fimus, et possessores. Ita planum fit, hoc de reditu ex captivitate filiorum Rachelis, et unde haec solatium perceptura erat, in typico sensu, sicut ad omnes alios pertinuit, qui salutem adepti sunt per Christum, ita spectasse ad infantes quoque, ab Herode neci datos, atque ista ratione impletum esse hoc vaticinium in his etiam infantibus, dum Christi causa interfecti ab Herode essent, quemadmodum Matthaeus testatus est Evangelista.

XXX.

EZECHIELIS 38. v. 1. 2.

Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, terram Magog principem capitis Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo.

וַיְהִי דְבַר־יְהוָה אֵלַי לֵאמֹר׃ בֶּן־אָדָם שִׂים פָּנֶיךָ
אֶל־גּוֹג אֶרֶץ הַמָּגוֹג נְשִׂיא רֹאשׁ מֶשֶׁךְ וְתוּבָל וְהִנָּבֵא
עָלָיו׃

Gog, et terra Magog, quaenam gentes, et civitates fuerint, adversus quas hoc vaticinium Ezechiel ediderit, quod deinde proponitur, jam inde a primis Ecclesiae seculis multiplices, variaeque erant interpretum sententiae. *Judaei*, inquit S. Hieronymus in Commentar. *et nostri judaizantes*, eos intelligit ex Christianis, qui mille annorum regnum post resurrectionem adstruxerunt, *putant gentes esse Scythicas immanes, et innumerabiles, quae trans Caucasum montem, et Maeotidem paludem, et prope Caspium mare ad Indiam usque tendantur; et has post mille annorum regnum esse a diabolo commovendas, quae veniant ad terram Israel, et pugnent contra Sanctos, multis secum gentibus congre-*

congregatis. Theodoretus Alexandrum M. et Macedones et ex his Syriae, et Aegypti reges exortos censuit per hunc Gog, et Magog esse designatos, S. Ambrosius *l.* 2. *de Fide c. ult.* Gothos istis nominibus intellexit, qui eo tempore Romano imperio valde erant infesti. Alii de Antiocho Epiphane, alii de Turcis, et Saracenis hanc prophetiam sumpserunt. Calmet in dissertatione super hoc argumento probare conatus est, hanc de Cambyse Cyri filio esse prophetiam. Interpretes Protestantium, et Helveticae Confessionis, ut omnia in principio suae reformationis in probrum converterunt Catholicae Ecclesiae, sic ex hoc Gog, et Magog etiam fecerunt Romanum Pontificem, et Catholicos. Est Apocalypseos 20. v. 7. *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog, et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est, sicut arena.* Ex quo Apocalypseos loco complures etiam apud Ezechielem Antichristum intelligendum esse non dubitaverunt. Mihi autem potius habetur, ex Ezechiele ista Gog, et Magog nomina ad illos, qui extremo mundi tempore oppugnaturi Ecclesiam sunt hostes, Apoc. 20. v. 8. translata esse.

Quisnam ergo per Gog, et quae terra per terram Magog intelligenda venit? Primum considerandum est, quaenam terra Magog sit, unde etiam quis per Gog intelligendus sit, facilius apparebit. *Coelesyria*, inquit Plinius l. 5. c. 28. *urbes habet Bambycem, quae alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog.* Pariter Ptolemaeus in quarta Asiae tabula *Hierapolis*, inquit, *a multitudine templorum sic apellata a Graecis, cum proprium ipsius nomen sit Magog.* Terra ergo Magog eadem est, quae Syria, in qua una primarum urbium fuit Hierapolis, vel Magog, et a qua, ut solet fieri, denominata est tota regio. Gog autem in Hebraea

lingva tectum, et culmen significat, quo ea, quae infra hoc sunt, proteguntur. Cumque idem, qui Gog dicitur, deinde vocetur, *Nesi Rosch* a) presse vertendo *Princeps capitis*, hoc est, Princeps summus b) duarum regionum Mosoch, et Thubal, pronomenque, *Vaticinare de eo* c) sit masculini generis; sequitur, hoc nomen etiam Gog pertinere ad significandum hominem, non civitatem, vel regionem. Hoc proinde nomine Gog quispiam e regibus Syriae designatus est.

De isto Syriae principe, et rege est V. 8. venturum in novissimo, *quod* Hebraice, *beacharith* d) tempus etiam qualecumque posterius significat, *ad terram, quae reversa est a gladio, et congregata est de populis multis, ad montes Israel, qui fuerunt deserti jugiter*. Omne tempus intelligitur, quod a clade intercessit usque ad reditum. Postquam autem Judaei ex Babylonica redierunt captivitate, seque recollegissent; jactati deinde sunt, et vexati a Syriae regibus vehementissime, ex quibus Antiocho Epiphane nemo in eos fuerit acerbior, atque crudelior: cui satis non fuit miserrima servitute oppressos tenere, sed qui ipsam etiam Religionem exstinctum iverit. Mosoch, Hebraice *Mesech*, et Thubal, quarum princeps, et caput iste Gog erat, fuisse provincias sub ejus imperio, et potestate positas facile sua sponte intelligitur. Eadem sunt nomina etiam filiorum Japhet. Gen 10. v. 2. Josephus Cappadociam, et Iberiam ponit esse, quarum regionum nomina haec

---

a) נְשִׂיא ראש

b) Nomen idem, vel synonymum, constructum cum altero efficit apud Hebraeos supremum significationis gradum. *Vide meas Institut. Ling. Hebr. pag.* 58. Edition. 2.

c) עָלָיו d) בְּאַחֲרִית

antiquitus fuerint. Iberia autem intelligenda ea est, quae sita est ad mare Caspium. Item cetera sunt nomina nationum, atque regionum, ex quibus Gog suum habuerit comparatum exercitum, et quas idem in ditione sua habuerit, aut ex quibus saltem stipendio conductum habuit militem. De plerisque vero nominibus disceptatur, quae his significentur per Ezechielem gentes, et regiones, postquam antiquata pridem haec sunt nomina. Parebat tunc Syriae regibus Asiae minoris magna pars, et ea, quae ab Syria Septemtriones versus prius erant sub Persarum imperio. Harum itaque provinciarum haec etiam intelliguntur fuisse nomina.

De hoc eodem Gog, dum sequenti etiam capite eadem haec continuatur prophetia, est, futurum, ut Deus in montibus Israel, quos ille bello afflixit, arcum, et sagittas ei excutiat de manibus, et cladem internecinam subeat. Judas Machabaeus, qui adversus Antiochum Epiphanem surrexit, et defensionem sui populi suscepit, plures Antiochi duces superavit, eorumque exercitus partim delevit, partim fugavit. Ipse vero Antiochus, dum ad corradendam pecuniam ivisset in Persidem, ibi teterrimo morbo periit. Nec tamen illae victoriae, quae in libris Machabaeorum describuntur de Antiocho, vel aliis Syriae regibus relatae ab Judaeis, ejusmodi erant, cujusmodi praedicebantur futurae in hac prophetia Ezechielis. Quale est, ab incolis civitatum Israel arma hostium esse igni tradita: quorum tantus numerus fuerit, ut eorum combustio annos septem duraverit, iidemque septem menses insumpserint in humandis hostium cadaveribus. Postquam vero haec interemptio hostium facta fuerit, qua ad internecionem omnes caedantur, tunc Deus se reducturum dicit captivitatem Jacob, miserturumque omnis domus Israel, et jam deinceps hos habitaturos confidenter, neminem ultra formidantes, et a quibus Deus faciem suam ultra numquam sit absconsurus, eo quod Spiritum suum

effuderit super omnem domum Israel. C. 39. v. 25—29. Deinde vero Cap. 40. succedit descriptio novi templi, novaeque urbis Jerusalem. Vbi advertendum est, hanc adversitatem, quae per Gog accidit Judaeis, C. 38. v. 8. poni post tempus eorum reditus ex captivitate: et tamen Cap. 39. v. 27. illorum reductio de populis, et congregatio de terris suorum inimicorum dicitur futura tantum post debellatum Gogum, ejusque internecionem. Nec ipsius etiam novi templi, et novae urbis Jerusalem descriptio, et forma depicta potest esse illius templi, atque urbis, quam reduces Judaei ex captivitate Babylonica instauraverunt, utpote cujusmodi templum, et urbs Jerusalem, quam reduces Judaei aedificarunt, non fuit, ne longissime quidem.

Etiam de ea libertate, quam vaticinatus est Ezechiel Judaeis, positis adhuc in Babylonica captivitate, et antequam Gog in illos irruisset, qui ipsos invasit tantum, postquam jam in patriam suam rediissent, quieteque in ea habitare coepissent, est sic C. 37. v. 21. *Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam, et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, et rex erit unus omnibus imperans, et non erunt ultra duae gentes, nec dividentur amplius in duo regna. Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis, et salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, et emundabo eos: et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus, et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea: et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri, et habitabunt super eam ipsi, et filii*

eorum usque in sempiternum, et David servus meus princeps eorum in perpetuum, et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis, et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi mihi erunt populus. Haec autem sub typo, et imagine Judaeorum, reductorum e captivitate Babylonica, pertinere ad novi foederis populum Dei, de cujus dispersi collectione est Joannis 11. v. 51. Christum mortuum esse, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, clarum est. Ergo etiam res, quae deinde continuatur in prophetia, et quae Judaeis accidit per Antiochum Epiphanem, grassantem in eos crudelissime, spectabat typice perinde ad hoc designandum, quod Dei populo, et ex fide in Christum filiis Abrahae evenit collectis ex toto terrarum orbe, et compositis ad unum Christi regnum, et Ecclesiam, atque ad persecutiones praemonstrandas, quas Ecclesia sustinuit, et statim ab initio ortus sui, et subitura adhuc est usque ad finem mundi. Tunc vero omnes inimici Christi ponentur sub pedibus illius instar scabelli. Psal. 109. v. 1. 1. Cor. 15. v. 25. Atque haec est plena Gogi, et perfecta debellatio, et internecina clades, quam et Ezechiel C. 39. et Joannes in Apocalypsi c. 20. v. 7. vaticinatus est. Eademque etiam adhuc populi tunc Dei, et Israelis dicitur futura liberatio. Siquidem et Ecclesia eousque maneat exposita assultibus hostium, et plenam atque absolutam suam liberationem tantum tunc assecutura sit, dum redemptionem adhuc nunc corporis nostri exspectamus, Rom. 8. v. 23. et reparatio nostra tunc tantum absolvenda sit. Ex quo jam intelligi potest, per Gog quidem, et terram Magog secundum literam esse Antiochum Epiphanem, sed hujus acerbitatem, quam exercuit in Judaeos, idque Religionis causa, quam quaereret delere, et exstingvere, perti-

nuisse ad eas adumbrandas persecutiones, quas deinde subiit Ecclesia, et subitura adhuc est ad finem usque mundi.

XXXI.

DANIELIS. 9. v. 24—27.

Septvaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito, ergo, et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce ven-

turo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. a)

Veteres Hebraeos agnovisse, et confessos esse, eum, qui in hoc Danielis vaticinio promissus est, ipsum esse Messiam, istumque esse Sanctum sanctorum, qui canitur in hac prophetia, per quem justitia sempiterna adducenda sit, quin ipsam etiam occisionem illius, testatur S. Hieronymus in Comment. eorumque testimonia adducit. Nec diffitentur plures etiam ex recentioribus. Hoc faciunt R. Baraphias in *Bereschit Rabba*, R. Moyses ben Nachmon in Danielem, et R. Samuel in epist. ad R. Isaac data apud Dionysium Carthusianum. Alii autem, ne cogantur hic Messiam recognoscere, varias ineunt interpretandi vias, et per hunc Christum ducem alii Cyrum, ut R. Selomoh, et R. Joseph Jachiades contendunt intelligendum; alii Nehemiam, ut Aben Ezra; alii Zorobabelem, alii Herodem Agrippam. Saadias Gaon in Sepher Haemunoth per Messiam occidendum posuit, sacerdotes esse intelligendos, occisos in excidio templi per Romanos. Iidem Judaei Sanctum sanctorum, qui dicitur ungendus, accipiunt de suo templo, ejusque illa instauratione et consecratione, quae facta est post

---

a) Textus Hebraicus hoc loco in fronte interpretationis omittitur, quod is deinde per partes ponendus in interpretatione sit.

eorum reditum ex captivitate Babylonica. In hebdomadum quoque septvaginta spatio, et ubi earum initium, et finis constituendus sit, vario modo se versant. Et quamvis ipsi etiam Judaei consentiant, has non dierum, sed annorum hebdomadas esse intelligendas; tamen cuique earum alii septvaginta, alii quinquaginta, alii centum etiam annos tribuunt: quin nonnulli eorum has etiam jubilaeorum hebdomadas faciunt: et qui annos tantum etiam septem his singulis septvaginta hebdomadibus dant; tamen istos constituunt in eo spatio, quod est inter Jerosolymam vastatam per Chaldaeos, et ejus instaurationem, post suum e Babylonia reditum, tam crasso errore adversus annos, quos constat ex historia intercessisse, ut istius sententiae assertores redarguerint alii ex ipsis etiam Judaeis: nominatimque Aben Ezra adversus Saadiam hoc fecit. Sunt etiam, qui dum victi veritate sunt de tempore, quo jam juxta hanc Danielis prophetiam advenire debuerit Messias, tamen nondum advenisse dicant, quod ob eorum peccata dilatus illius adventus sit: rursumque, qui negent, supputari debere hoc tempus, illosque, qui supputant, execrentur, maleque his precentur, quemadmodum jam Supra Num. VI. Exercitation. Exegeticar. ad Genes. 49. v. 10. demonstratum est.

Dum evidentia ex ipsis Judaeis expressit confessionem vel apertam, vel quam dent sua ejusmodi explicatione, ex qua appareat, quod ne sibi ipsis quidem satisfaciant; tum eo minus de Christianis dubium esse potest, quin hi omnes, et semper etiamsi secta divisi ab Ecclesia essent, Christum in hoc vaticinio cani intellexerint. *Nulli dubium*, sunt verba Julii Africani apud S. Hieronymum in Comment. ex libro illius de Tempore, *quin de adventu Christi praedictio sit, qui post septvaginta hebdomadas mundo apparuit: post quem consummata sunt delicta, et finem accepit peccatum, et deleta est iniquitas, et annunciata justitia sem-*

piterna, quae Legis justitiam vincet, et impleta est visio, et prophetia. Hoc vero intelligi debet tantum ad id tempus, donec, superiore Ecclesiae seculo, nova mundo ad intelligendam Scripturam sacram exorta essent lumina, qui docuerunt, quemadmodum alias prophetias, etiam quae habitae sunt semper certissimae, ita hanc quoque tantum ex ignorantia, et caeca credulitate esse relatam ad Christum. Nam juxta hos interpretes, nec iste Sanctus sanctorum, qui in hoc vaticinio dicitur ungendus, et occidendus, est Christus, nec ea abolitio peccati est intelligenda, quae sit per hunc facta, et reparatio nostrae justitiae, atque foedus, quod sancitum sit morte, atque sangvine Christi: sed ista omnia volunt intelligi de sola Jerosolymae, et ejus templi instauratione post reditum ex captivitate Babylonica. In quo Judaei defendendo succubuerunt, hoc isti novo conatu suscitare, et erigere studuerunt.

Quia vero valde evidens est, istud, quod in hac prophetia est de futura desolatione templi, esse praedictionem ejus rei, quae accidit eidem templo per Titum, et Romanos, siquidem hanc eam esse, quae sit praedicta per Danielem, ipse testatus sit Christus, dicens ad discipulos suos: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto*, Matth. 24. v. 15. cogit eos, qui prophetias a Christo avertunt, rem per Danielem praedictam de irrogando Judaeis supplicio eversionis urbis, et templi referre ad Christum. Sic hoc vaticinium Danielis interpretatur David Michaelis in sua Disquisitione de Septvaginta hebdomadis Danielis a) et in Adnotationibus in Scripturam s. et Jahnius, ejusdem Michaelis sententiam more suo sequens, et in eo tantum ab eo recedens, quod septvaginta hebdomadas pro septvaginta

a) Versuch über die siebenzig Wochen Daniels.

annis captivitatis Babylonicae accipiat. Sapientiusne Davide Michaelis? hoc deinde adhuc videbimus. Quam sententiam suam Jahnius cum jam in Introductione in Danielem, iterumque Enchiridii sui §. 54. et 72. indicasset, deinde in opusculo suo, cui titulum dedit: *Appendix Hermeneuticae, seu Exercitationes Exegeticae* sic proponit, ut omnibus argumentis fulcire eam, et evincere satagat, et quam post prolixam interpretationem vaticinii hujus totius, hocce modo habet positam in compendio: *Septavaginta, septvaginta (illi a Jeremia exilio praefixi anni, de quorum fine precatus es, v.* 2, 17—20) *super populum tuum, et urbem tuam decurrunt, quibus elapsis (captivitas haec) praevaricationum, et peccatorum poena terminabitur, et finietur, ac iniquitates (quae hanc castigationem meruerunt) expiatae erunt, redibitque illa antiqua a poena immunitas (qua Hebraei olim tranquilli in patria sua habitabant) atque illud vaticinium Prophetae (Jeremiae Dan.* 9, 2:) *complemento, quasi sigillo veritatis obsignatum, comprobabitur, et templum restitutum ungetur, seu dedicabitur. Quod autem ulteriora tempora concernit, scito et animadverte, a tempore decreti, ut Jerusalem rursus aedificetur, usque ad unctum principem fore septvagies septem, et septvaginta, sexaginta duos (annos). Aedificabuntur quidem rursus plateae, et angiportus, sed in angustia temporum. Post illos autem septvaginta, sexaginta duos (annos) unctus evertet urbem, et jam non erit ejus (populus): nam venturus principis populus vastabit urbem, et templum, et finis ejus irrumpet instar inundationis, et usque ad finem belli excidium vastum erit. Nam consolidabit foedus multis hebdomas quaepiam, et dimidio hebdomadis abolebuntur victimae, et ferta. Denique contra abominabilem*

exercitum (aderit) vastator, ad usque ad plenum excidium effundetur (supplicium) super vastitatem.

Vaticinium hoc editum est ore Gabrielis angeli ad Danielem, dum iste, quemadmodum est initio hujus capitis 9. anno primo Darii, (Darius Medus iste fuit, qui cum Cyro evertit Chaldaeorum imperium) in Jeremia legisset annos septvaginta duraturam captivitatem, (id quod est Jerem. 25. v. 11. et Cap. 29. v. 10.) et supplices Deo fudisset preces, quibus confessus erat, justissime se punitos esse, deinde vero Deum precatus esset, ut jam benignioribus oculis ipsos intueatur. Cumque adhuc in his precibus fundendis Daniel esset, Gabriel cito volans tetigit illum, eique dixit: *Daniel nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres*: ac deinde verba illa dixit, quae sunt hujus vaticinii. Advertendum est, Danielem in hac precatione non quaesivisse scire tempus, quo finienda sit captivitas, cujus petitionis neque verbulum est in tota ejus precatione. Cur monuerim, hoc esse advertendum, statim apparebit, dum ordine ibimus nunc per verba hujus prophetiae, ejusque verum sensum explicabimus, atque hunc a falsis, et detortis interpretationibus vindicabimus.

Septvaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam. a) Quae hic septvaginta hebdomadae positae sunt non tantum in textu Hebraeo juxta morem perpetuum legendi, adversus quem nullus etiam Rabbinorum legere hunc aliter ausus est, tametsi mentem hi omnem in eo consumpserint, ut has septvaginta Danielis hebdomadas in aliud quidpiam converterent, et in quo Danielis de his hebdomadis loco vertendo omnes Interpretes tam veteres, quam recentiores consenserunt, hujus sibi Jahnius

---

a) שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ

permisit licentiam sic vertendi aliter, et interpretandi, ut ex his Danielis septvaginta hebdomadis septvaginta anni fierent pro *septimanis* a) legendo *septvaginta* b) cumque sic in locum hujus: *Septvaginta hebdomadae* fierit hoc: *Septvaginta, septvaginta*, adstruxit numeri istius repetitionem factam esse tantum majoris adseverationis causa, et quibus bis septvaginta vocem, *annos* adposuit, ut ita sensus prodiret de annis septvaginta. c) Sic vero ubi sunt septimanae juxta perpetuam ad hoc usque tempus rationem legendi, et intelligendi esse septvaginta legendum, annosque septvaginta intelligendos, causam Jahnius repetit ex orationis contextu, et quod argumentum vocat *irrefragabile*, *et inexpugnabile*. Deum enim respondisse Danieli ad preces, quas fudit: hunc vero istis suis precibus finem captivitatis a Deo exorasse. Itaque Dei etiam responsum, allatum per Angelum, pertinuisse ad hunc captivitatis finem revelandum Danieli, in quo anni completi essent septvaginta ejusdem captivitatis.

Et istene finis captivitatis post annos septvaginta revelari debuit Danieli, quos se intellexisse ex libris Jeremiae, antequam precationem suam instituisset V. 2. clare testatur? Dubitavitne Daniel de veracitate istius per Jeremiam editi divini oraculi de septvaginta captivitatis annis? In tota illius precatione ne verbulum quidem est de eo, quod voluerit rescire finem captivi-

---

a) שָׁבֻעִים b) שִׁבְעִים

c) Jahnio praeivit J. E. C. Schmidt apud Eichhornium in universali Biblioth. Literat. German. Tom. VII. pag. 115. ex שָׁבֻעִים faciens etiam שִׁבְעִים ut loco Septvaginta hebdomadarum prodirent *Septvaginta*, *septvaginta*, et qua geminatione, voluerit intelligi *longum*, *longum tempus* indefinite. Perinde vero, ut Jahn, suo praecise arbitratu, et adversus usitatum morem legendi, et intelligendi hunc locum.

tatis. Alioquin, si dubius fuisset de eo, quod praedictum vidit prophetico Spiritu per Jeremiam, incredulitatis atque diffidentiae crimen istud erga Deum fuisset. Cur ergo vir desideriorum vocatus est ab Angelo? cur supplices preces ad Deum fudit, ut iram, et furorem suum V. 16. averteret ab Jerusalem civitate sua, et monte sancto suo? Quod creditur, et scitur futurum, si gratum sit, quid obstat, quo minus etiam desideretur? Sed neque eo minus etiam Deus Danieli precandus fuit, ut quod jam ostendit se largiturum, praestaret: quasi supplicandum Deo non esset pro re, etiam promissa, sed quam nondum habemus. Quin Daniel insuper, hoc ipsum sibi fuisse declarat, cur Deum precatus sit, quod finem adesse captivitatis ex Jeremia intellexerit. Quam tamen Angelus ad Danielis precationem attulit divinam revelationem, in hac fuit, quo etiam cumulatius responsum sit ejus desiderio, et precationi. Cogitanti enim de ea tantum, quam in Babylonia sustinebant captivitatem, Angelus nuncium, et designationem temporis attulit quoad liberationem ex ea captivitate, quae prae ista ex Babylonica servitute ipsi etiam Danieli optatior erat, et desideratior, et ad quam praemonstrandam, et significandam ipsa etiam liberatio ex captivitate Babylonica pertinuerit. Eaedem hebdomadae sepvaginta deinde V. 25. divisim ponuntur septem, et sexaginta duae, et quibus V. 27. additur adhuc una: quasque septimanas esse intelligendas etiam agnoscit Jahnius. Nam de ea re Angelum hic loqui, cujus numerum prius dixerat esse septvaginta, clarum est ex his illius verbis: *Scito ergo, et animadverte:* quae profecto verba non aliud indicant, quam revelationis de septvaginta hebdomadis repetitionem usque ad liberationem, de qua locutus jam est Angelus, cum uberiore declaratione. Etiam sequentia in hoc vaticinio patefacient, quam hoc ex contextu pro septvaginta annis, ab Jeremia praedictis argumentum, quod Jahnius praedicat irrefra-

gabile, et in expugnabile, non tantum nullius momenti, et firmitatis, verum etiam quam falsum sit.

Has septvaginta hebdomadas esse hebdomadas annorum, atque adeo spatium efficere annorum 490. consentiunt interpretes Christiani omnes excepto Jahnio, et ipsi etiam Judaei veteres. Recentiores vero, sicut jam dictum est, ex pluribus etiam annis has componunt, suo tantum arbitrio, ne hi anni hebdomadarum septvaginta exirent in eum, quem nos credimus, illi autem agnoscere nolunt; Christum. Nam Judaeis praeter hebdomadas dierum, annorum etiam hebdomadas fuisse in supputando tempore, evidens fit ex Levit. 25. v. 8. Hae septvaginta hebdomadae sunt *abbreviatae.* a) Quod verbum numeri singularis est in voce passiva conjugationis, quae Hebraeis *Niphal* dicitur. Nihil autem hoc novum, aut inusitatum iisdem Hebraeis est, ut in verbis singularem numerum adhibeant pro plurali. b) Hoc autem verbum alibi in Bibliis Hebraicis non exstat. Cujus tamen significatio facile intelligi potest ex orationis contextu. Septvaginta verterunt: συνετμήθησαν *decisae sunt.* Quam significationem scissionis, abscissionis, decisionis etiam apud Judaeos Thalmudicos habet. Nec tamen hinc sumere ab Judaeis, atque ab ipsis etiam Septvaginta vocabuli istius significationem placuit Davidi Michaelis, et Jahnio, sed potius ab Arabibus. Quin tamen ipsi etiam de significatione istius vocabuli inter se conveniant: et quorum alter Michaelis sensum hujus ponit esse, *decsendere*, quodque pro

---

a) נֶחְתַּךְ

b) לֹא נִמְצָא נָשִׁים יָפוֹת כִּבְנוֹת אִיּוֹב *Non inventa est feminae pulchrae, sicut filiae Jobi.* Job. 42. v. 15. וְנִשְׁאַר־בּוֹ עֹלֵלוֹת *Et relictus est in eo racemi.* Isa. 17. v. 6. etc.

revelare soleat usurpari ab Arabibus ; alter Jahnius sensum ejus ponit: *incessit propere*, ut ita verbum sit adcommodatum septvaginta annis captivitatis, quos hic in Daniele ponit, quorum annorum numerus jam tum compleretur. Quid vero hoc Jahnium juvat? Nam etiam de adventu Christi in mundum est: *Prope est, ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* Isa. 14. v. 1. Aggaei. 2. v. 7. Et Joannes quoque de ipso etiam tempore adventus Christi ad judicium dixit, prope istud esse. Apoc. 1. v, 3. Cap. 22. v. 10. Quid? quod ipse etiam Interpres Arabs, qui Biblia Hebraica in Arabicum vertit, eodem modo hoc vocabulum verterit, quo Septvaginta? qui, crederem, tamen aliquantulo plus etiam sciverit Arabice Davide Michaelis, et Jahnio. Vidimus tres, Saadiam, qui Arabicam Scripturae versionem fecit, Michaelisium, et Jahnium, quemque aliter vocabulum Hebraicum ex lingva Arabica interpretatum esse. Hoc in exemplum illius potest esse, quod Part. II. Cap. 11. §. 62. dictum est.

In quem vero finem hae decisae, et definitae hebdomadae super urbem sanctam, et Dei populum sunt? Hoc intelligitur ex verbis ulterioribus Angeli ad Danielem: *Vt consumatur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.* a) Haec autem consummatio praevaricationis, hic finis peccati, et deleta iniquitas eidem Jahnio, post Davidem Michaelis, aliosque Neotericos, ipsosque Judaeos non aliud est, quam remissio' illius poenae, quam subierunt ob sua peccata per

---

a) לכלא הפשע ולהתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמם ולהתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים:

captivitatem Babylonicam, et quod deinde in cultu Dei jam mansuri constanter sint. Ad quem eumdem reditum ex hac captivitate istud quoque, ut ungatur Sanctus sanctorum, trahunt, Sancti sanctorum nomine intelligendo templum, ejusque consecrationem. Quamvis vero peccati nomine poena peccati tropice possit intelligi, nondum tamen consequens est, sic in hoc loco sumi. Deinde hae septvaginta hebdomadae non tantum dicuntur definitae ad consummandam praevaricationem, finiendum peccatum, et delendam iniquitatem, verum etiam, ut adducatur justitia sempiterna. Per quem vero justitia adducta est, eaque sempiterna? aliusne iste est, vel esse potest, quam sit Christus? *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum.* Rom. 3. v. 22. Sed etiam res male cohaeret. Excepto Jahnio, qui hoc in loco circumspectior fuit, et ideo septvaginta hebdomadas in septvaginta annos captivitatis convertit, alii omnes, ipse etiam Michaelis, confitentur per has septvaginta hebdomadas, esse annorum hebdomadas intelligendas. Jam vero septvaginta annorum hebdomadae, quae faciunt annos 490, etiamsi earum initium ponatur in eo anno, quo coepit Babylonica captivitas, aut in anno, quo eversa per Chaldaeos est Jerosolyma, ut pluribus Judaeorum placet, tamen non terminantur in tempore, quo instauratum est templum: cujus instauratio anno Cyri primo coepit, et perfecta est anno sexto Darii. 1. Esd. 1. v. 1. Cap. 6. v. 15. a cujus templi Jerosolymitani eversione usque ad annum sextum Darii intercesserunt anni nonnisi 119.

Sed instant, per Sanctum sanctorum debere intelligi templum, cujus adyta, atque interior pars, quo nonnisi summo sacerdoti, semelque in anno, fas fuit intrare, soleat in Scriptura Sancti sanctorum nomine venire: deinde significari templum etiam hic in Daniele ex Hebraico intelligi, ubi non sit Sanctus sanctorum sed

Sanctitas

Sanctitas sanctitatum a) in genere feminino. Ne ista inexpugnabilia sunt argumenta. Anne ignorant, qui etiam Grammaticas Hebraicas ediderunt, nomina substantiva quamvis feminini generis tribui maribus, idque ad significationem evehendam ad altissimum gradum? Cujusmodi igitur istud est ad Jerosolymam: *Ponam praepositos tuos justitiam?* b) Isa. 60. v. 17. hoc de Abrahamo: *Et eris benedictio?* c) Gen. 12. v. 2. hoc: *Sicut eratis maledictio* d) *in gentibus domus Juda, et domus Israel; sic salvabo vos; et eritis benedictio?* e) Zach. 8. v. 13. Iste igitur Sanctus sanctorum, quem ungendum esse post illas hebdomadas, Gabriel dixerat Danieli, fuit Christus, ipso hoc etiam nomine appellatus, per quem adducta est, justitia sempiterna, et de quo Isa. 61. v. 1. est: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*: quod de se esse ipse etiam Christus Luc. 4. v. 18. testatus est. Etiam Actor. 10. v. 38. de eodem Christo: *Vnxit eum Deus Spiritu sancto*, dum videlicet virtute Spiritus s. qua conceptus est in utero matris suae, humana illius natura sanctificata est per ejus copulationem cum divina natura, ejusque assumptionem a Filio Dei. Postquam vero demonstratum est, ita, quae explicata sunt, esse de Christo; nemini etiam obscurum manebit, visionem, et prophetiam, quae dicitur implenda post has hebdomadas septvaginta, etiam esse intelligendam de eodem Christo.

Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri

---

a) קֹדֶשׁ קָדָשִׁים b) צְדָקָה c) וֶהְיֵה בְּרָכָה d) קְלָלָה e) בְּרָכָה

in angustia temporum. a) Post id tempus, quo hoc vaticinium anno primo Darii Medi editum est, edictum pro Judaeis Cyrus omnium primus fecit. 1. Esd. 6. v. 3. Quo vero facultas tantum templi aedificandi ipsis data est. Alterum obtinuerunt a Dario Hystaspis filio, 1. Esd. 6. v. 1. quo confirmabatur nonnisi edictum prius Cyri. Tertium datum est ab Artaxerxe anno regni illius septimo: 1. Esd. 7. v. 12. sed neque in hoc mentio adhuc fit de urbis, et moenium instauratione. Quartum denique iterum ab hoc Artaxerxe anno regni illius vicesimo impetrarunt, quo moenia etiam excitandi, hisque urbem cingendi data Judaeis potestas est. 2. Esd. 1. v. 3. Cap, 2. v. 1—7. Cum ergo hocce anno vicesimo Artaxerxis exierit edictum de circumdanda moenibus urbe, hinc etiam veniunt numerandae hae hebdomadae, quaeque septem, et sexaginta duae ab hoc anno Artaxerxis usque ad Christum ducem omnino intercesserunt. Anno Periodi Julianae 4241, Mundi 3530, et Olympiadis sextae et septvagesimae a. 4. Artaxerxes coepit regnare juxta Eusebii Chronicon. Itaque ad a. M. 3530 additis annis viginti Artaxerxis, et a. 483. quos faciunt hebdomadae septem, et sexaginta duae, annus prodit M. 4033. quo etiam juxta Aeram vulgarem baptizatus est Christus. Advertendum est, hunc annum M. 4033. tantum ab Artaxerxis a. 20. supputari: nec ideo sequi istum annum reipsa esse, qui fuerit a creatione mundi. Siquidem illud etiam probandum restet annum M. 3530. reipsa fuisse, dum Artaxerxes rex factus esset. Quod huc

---

a) יתדע ותשכל מן־מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד־משיח נגיד שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב יחרוץ ובצוק העתים:

non pertinet, dum tantummodo de hebdomadis Danielis agimus quando coeperint, et desierint. De anno autem mundi, quo natus est Christus, fuit jam P. I. c. 32. §. 94.

Fuit vero prius, septvaginta hebdomadas esse decisas ad id tempus, quo ungendus fuerit Sanctus sanctorum, atque per hunc deleatur iniquitas, et justitia adducatur sempiterna. Quod Christus perfecit obeundo pro nobis mortem. Sequitur vero: *Et post hebdomadas sexaginta dúas occidetur Christus*: a) Itaque consequens est, has sexaginta duas hebdomadas, post quas occidendus erat Christus, numerari ab eo tempore, quo septem hebdomadae ex septvaginta jam praeterierint. Duae autem res memorantur de his septem, et sexaginta duabus hebdomadis: prima est, rursum aedificandam esse plateam, et muros in angustia temporum; altera, occidendum esse Christum. Cum ergo hebdomadae sexaginta duae sint positae quoad mortem Christi; reliquae septem spectant ad aedificationem plateae, et murorum. Nam quamvis moenia exstructa sint intra duos, et quinquaginta dies, 2. Esd. 6. v. 15. certe tamen intelligitur, nondum tantae urbis moenia ad omnem suam perfectionem venisse tam brevi tempore; sed neque urbem ipsam ejusque aedíficia, et plateas absoluta intra idem tempus esse. Angustia temporum ad moenia inprimis pertinet, sive quoad tempus, quod tam breve duarum tantum dierum, et quinquaginta fuit; sive quod armis accincti aedificare deberent propter incursiones Samaritanorum, aliarumque nationum, quae Judaeos impedire in aedificatione conabantur. *Aedificabitur platea, et muri*, pro muris est in Hebraeo *Charutz* de quo, quid adcurate significet, Neoterici disputant. Significat autem quidpiam, quod excisum est. Septvaginta, et Theodotio verterunt τεῖχὸς, quod mu-

a) ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח

rum, et moenia significat: indeque, crederem, quod haec ob speculas in his, certis intervallis constitutas, dentium quasi formam referrent. Istud: *Occidetur Christus*, a) presse significat: *exscindetur*, ἐξολοθρευθήσεται, ut Septvaginta verterunt. Istius *Jiccareth* in Hebraeo, et a Septvaginta versum *Exscindetur* adhuc postea vèniet explicatio. Nam Davidi Michaelis, et juxta hunc Jahnio non placet verbum hoc sumere in significatione vocis passivae. Caverene videntur, ne Christi mors, et occisio sit prophetice praedicta?

Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Pro hoc in Hebraeo tantum est: *Et non ei.* b) Non est completa locutio. Semper vero in ejusmodi locutione id, quod deest, ex reliquo contextu orationis petendum est, atque eo referendum, de quo jam notum est, esse sermonem. Antecessit vero jam in principio hujus vaticinii, et clare dictum est, super populum Judaicum, et urbem sanctam decisas esse hebdomadas septvaginta. Cum ergo istud pronomen: *Ei*, referatur ad antecedens proxime nomen, *Christus*, idem iste Judaicus populus intelligitur, qui Christi populus futurus non sit. Quo eodem in tenore deinde subsequens etiam pergit oratio: *Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* c) Hunc ducem, qui hic memoratur, David Michaelis, et Jahnius ponunt esse Christum: atque hinc, quasi ex contextu, etiam anterius verbum: *Jiccareth* ponunt, in activa voce esse sumendum, et legendum *Jacrith* ut sensus sit, fore, ut Christus exscindat civi-

---

a) יכרת משיח b) ואין לו

c) והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות׃

tatem, atque Sanctuarium. Ne autem pro suo tantum arbitrio videantur eam, quae usitata lectio est, mutasse, solidissimam affert rationem Jahnius. Nam *Jiccareth* cum punctis passivae vocis repugnare sequenti mox verbo *Jaschchith, destruet, vastabit.* Siquidem iste, qui destructurus, vastaturusque civitatem, et sanctuarium dicitur, viveret, vivensque hoc acturus esset. Itaque de eodem prius dici non potuerit, esse excisum, et a vita sublatum. Crediditne ergo Jahnius, Christum, postquam occisus est, a morte ad vitam rediisse, ut de Judaeis poenas istas repetere vivus posset, vastando eorum civitatem, et sanctuarium? Nam si credidit rediisse tertia die ad vitam, dum Jerosolyma tantum annis quadraginta post eversa est per Romanos, vivus fuit, ut peragere potuit hanc vastationem, quamvis etiam mortuus, fuerit. Sed neque iste dux venturus est ipse Christus, quamvis hoc, velut instrumento Christus usus sit ad puniendos Judaeos, verum Vespasianus, hujusque imperio, et auspicio bellum a Vespasiano coeptum continuans, et perpetrans Titus. Idque vel hinc clarum fit, quod populus cum duce venturo, *Populus ducis venturi* dicatur civitatem, et sanctuarium dissipaturus esse. Romani vero hi fuerunt, horumque dux Vespasianus, atque Titus. *Et post finem belli, statuta desolatio.* a) Istud vero עַד solet significare Hebraeis: *usque, donec*, non tamen semper, verum alias etiam habet significationes, atque istius quoque voculae: *dum* b). Quare sensus iste est: Dumque finis belli futurus est, statuta desolatio, intellige, erit, fiet, sequetur.

---

a) וְעַד קֵץ מִלְחָמָה

b) וְאֵהוּד נִמְלַט עַד הִתְמַהְמְהָם *Et Ehud evasit, dum illi cunctantur.* Judic. 2. v. 26.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.

והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית
זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד־כלה
ונחרצה תתך על שומם׃

Haec una hebdomada est ex septvaginta, de quibus statim fuit ab initio hujus vaticinii, extrema. Quodnam vero pactum intelligitur, atque foedus a) quod hebdomada haec confirmabit? Dum jam demonstratum est, de Christo hanc esse prophetiam, ejusque occisione, cujusque morte cum perfecta ea redemptio sit, quam Deus per eumdem Christum promisit; neque igitur haec alterius etiam, quam istius foederis confirmatio, atque exsolutio est, quod Christi morte sancitum est. Quibus autem multis confirmabit? Nam sic in tertio flexionis casu etiam est in Hebraeo. b) Est de Christo: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel*, Luc. 2. v. 34. et ipse Christus de se dixit: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* Matth. 20. v. 28. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium.* Est continuatio sermonis de eadem una, eaque ultima hebdomada ex

---

a) ברית b) לרבים

hebdomadis septvaginta. Christi sangvine, atque morte novum foedus sancitum, et una abrogatio facta est foederis veteris. Cum ergo hoc abrogatum esset, una etiam sacrificiorum, quae lex vetus habuit, facta abrogatio est. Vnde vero consequens est in ejusdem ultimae hebdomadae medio de Septvaginta Danielis, Christum esse occisum. *Et erit in templo abominatio desolationis.* Est hoc ex Matth. 24. v. 15. huc transumptum, et positum ejus loco, quod est in Hebraeo: *Et super alam abominationum vastans erit.* a) Sua sponte vero apparet, alam non proprie sumi. Hebraicum vero *hal*, quod significare solet *super*, habet etiam significationem *ut:* quemadmodum hac ratione sumitur etiam Daniel. 8. v. 18. Hinc sensus iste est: Et ut extendat abominationes, vastans erit, hoc est, sic vastabit, is vero intelligitur, de quo antecessit: *Civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, ut foeditas istius vastationis se se latissime expandat. *Et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.* Vt a Christo prophetiam hanc etiam hac in parte abstrahant, David Michaelis, et Jahnius per pactum hoc, atque foedus, quod confirmaverit hebdomada haec una, sumunt hoc pactum de illa confoederatione rebellium Judaeorum certa quadam septimana. cujus meminit Josephus *l.* 2. *de bello Judaeorum c.* 16. dum eos defecissent victimae, atque ne has sibi a Tito ultro oblatas acceptarent, inter se conjurassent. At vero jam ex contextu orationis, quem hi nostri boni interpretes semper prae se ferre in interpretatione solent, sed non observant, haec ultima septimana fuit hebdomadarum septvaginta; nec dierum, sed annorum septimana. Haec autem dierum tantum hebdomada fuit, quam Josephus memorat. Ergo nec sic quidem

---

a) וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם

procedit, quod adstruunt: praeterquam quod jam demonstratum sit, foedus hoc esse, quod Christi morte sancitum sit, idque iterum intelligendum ex contextu orationis reliquae in hac prophetia, cui, ut recta sit, debet insistere interpretatio.

XXXII.

OSEE 11. v. 1.

Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum: et ex Aegypto vocavi filium meum.

בשחר נדמה נדמה מלך ישראל: כי נער ישראל
ואהבהו וממצרים קראתי לבני:

Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel. *Qui supra dixerat*: sunt verba S. Hieronymi in Comment. *Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquae* (Cap. 10. v. 7.) *eo quod spuma, et bullae, in aquarum summitatibus natantes, celeriter dissolvantur: nunc eamdem rem sub alia ponit similitudine. Sicut enim ortus aurorae, et diluculum, et principium diei, quod appellatur mane, inter noctis, solisque viciniam transit celeriter, ita ut finiatur nox, et clarescat dies, sic et rex Israel, id est,*

decem tribuum, velociter transiet. Itaque praenunciatur interitus regni Israel, qui affuturus celeriter sit. Sub Jeroboamo II. rege Israel adhuc Osee vixit, et functus est prophetico munere. A cujus obitu usque ad eversionem regni Israel per Salmanassarem regem Assyriorum anni intercesserunt duo, et quinquaginta. *Exponitque beneficia,* verba continuantur S. Hieronymi, *quae in ipsum contulerit Deus. Dum, inquit, esset puer, et parvulus et captus in Aegypto teneretur, in tantum eum dilexi; ut mitterem servum meum Moysem, et ex Aegypto vocarem filium meum, de quo dixi in alio loco: Filius primogenitus meus Israel.* Exod 4. v. 22.

Matthaeus Evangelista cum narrasset, Josephum conjugem Mariae, monitum ab Angelo, cum puero Jesu, ejusque matre abiisse in Aegyptum, dum Herodes caedem erat patraturus infantium, dicit deinde: *Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.* Matthaeus 2. v. 15. Evidens est in prophetia Osee esse sermonem de Israelitico populo, quem Deus filium suum adpellet ob suum in hunc dilectionis affectum. Quomodo ergo Matthaeus dicere potuit hoc ut adimpleretur, quod in Osea est de Israelitico populo, ideo Christum infantem esse portatum in Aegyptum, et inde reportatum? Nam, ut jam alibi demonstratum est, nonnisi illud dici postest impletum, quod antea enunciatum, vel actum, cum consilio dirigebatur ad id futurum, quod cum evenisset, praedictionem de se impleverit. Quamobrem jam Julianus apostata in septimo suo Volumine adversus Christianam Religionem, ut est apud eumdem Hieronymum in Comment. Christianis objecit, id, quod de Israele scriptum esset, Matthaeum Evangelistam ad Christum transtulisse, *ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet.* Ex Neotericis criticis quidam Anglus nomine William in Disquisit. de authentia

duorum primorum capitum Evangelii Matthaei nodum hunc scidit, adstruendo, haec duo capita non venisse ab ipso Matthaeo, sed esse tantum adposita per eum, qui ejus Hebraica lingva scriptum Evangelium vertit in lingvam Graecam. Id, quod jam supra etiam memoratum est. Idem fecit in Germania quidam Stroth in suo Repertorio Bibl. et Oriental. Literaturae. David quoque Michaelis in Adnotationibus in Matth. censuit, posse haec duo capita ab reliquo Matthaei Evangelio rescindi, ut sic, quae in his essent explicatu difficilia, nec sufficienter adhuc ab ullo enodata, inter quae hunc ipsum Osee locum, quem tractamus, pro Christo a Matthaeo allegatum, numerat, non in ipsum Matthaeum, sed in ejus tantum interpretem reciderent. William, et Strothius suam assertionem in eo maxime fundarunt, quod testimonio S. Epiphanii haer. 28. 29. 30. in Evangelio Matthaei, quod Ebionitis fuit, hujus tantum initium ibi sit, ubi modo apud nos, et in nostris codicibus Caput incipit tertium a praedicatione Joannis Baptistae. Dubitat vero ipse etiam Michaelis, num vere de Ebionitarum Evangelio Matthaei hoc S. Epiphanius testatus sit, de quo nihil se in Epiphanio reperisse dicit. Non vero de Ebionitis, sed Nazaraeis haer. 29. alias 9. S. Epiphanius istud habet: *Verum illud nescio, num genealogias illas amputarint, quae ab Abrahamo ad Christum usque perductae sunt.* De Cerintho autem, et Ebione haer. 31. alias 51. quae Alogorum est, docet, hos ex genealogia Christi apud Matthaeum adstruxisse, Christum fuisse purum hominem. Hanc ergo genealogiam, S. Epiphanii testimonio, Ebionitae habuerunt, et authenticam agnoverunt, unde etiam suum dogma de Christo, qui nonnisi homo fuerit, conati sint probare. Sed dicet William, et Stroth, perinde esse, sive Ebionitis, sive Nazaraeis Evangelium Matthaei sine genealogia Christi fuerit. At vero S. Epiphanius, cujus testimonio nituntur, hoc se etiam de Nazaraeis dicit

nescire. Ex eo ergo, quod se professus est nescire, quomodo sumi testimonium potest? Idem deinde tantum etiam dicit, se nescire, num genealogias amputaverint. Ex S. Epiphanii testimonio itaque sequitur, Nazaraeos genealogiam Christi ab Evangelio Matthaei amputasse, si ipsis hoc Evangelium absque genealogia Christi fuisset. Quid? quod idem etiam in eadem haer. 31. diserte asseveret, Matthaeum sic exorsum esse suum Evangelium, ut genealogiam Christi ab Abrahamo pertexuerit? Etiam vero quamvis Ebionitae, vel Nazaraei, aut cujuscumque sectae homines Evangelium Matthaei habuissent absque duobus primis ejus capitibus, hincne jam firmum argumentum duci posset adversus authentiam horum capitum? Haeretici quovis tempore sibi privilegium fecerunt non tantum mutilandae Scripturae, verum etiam ejus libros integros abjiciendi. Ecclesia est custos veritatis, et per eam traduntur nobis canonici libri. Id, quod ex ipsorum etiam Protestantium confessione probatum est, Supra Part. I. cap. 5. §. 37. Quis autem est ex omni antiquitate, qui in Ecclesia dubitaverit unquam de his primis duobus Evangelii Matthaei capitibus, sintne ista ipsius Matthaei?

Difficultate tam hujus, quam aliorum aliquot adhuc locorum pressi, interpretes etiam optimae notae, ut Jansenius Gandavensis, Estius, et Bonfrerius, statuerunt in his per adcommodationem rem actam esse, ceteroquin et vaticinia ore Prophetarum edita, et praemonstrationes per typos agnoscentes, et confitentes. Qui vero aura neoterica afflati sunt, Catholicosque se confitentur, dum, nisi excussa palam observantia erga concilium Tridentinum, rejici haec duo prima Matthaei capita non possunt, quod decrevit Sess. 4. Vulgatam cum omnibus suis partibus recipiendam, atque pro Scriptura canonica habendam esse; tamen ad adcommodationem istud: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, retulerunt, ne aliam, praeter-

quam quae verbis fit, praemonstrationem cogerentur recognoscere. Cui adcommodationi si vel isti Protestantes, qui duo Matthaei prima capita resecuerunt, locum ibi esse credidissent, ubi rem, quam ex Propheta protulit, Evangelista testatur esse impletam, non illud mutilandi Evangelii consilium inivissent.

Juliani autem dicterio, quod supra commemoratum est, respondens S. Hieronymus in Comment. docet, quonam modo dum res de Israelitico populo est apud Oseam, eadem tamen erga Christum fuerit prophetia. Sic enim Juliano loquitur: *Primum, Matthaeum Evangelium Hebraeis literis edidisse, quod non poterant legere nisi hi, qui ex Hebraeis erant. Ergo non propterea fecit, ut illuderet ethnicis. Sin autem illudere Hebraeis voluit, aut stultus, aut imperitus fuit. Stultus, si apertum finxit mendacium; imperitus, si non intellexit, de quo haec dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter, ordinateque compositum est: imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam legis habuisse cognoscimus. Superest, ut illud dicamus, quod ea, quae typice praecedunt in aliis, juxta veritatem, et adimpletionem referantur ad Christum: quod Apostolum in duobus montibus Sina, et Sion, et in Sara, et Agar fecisse cognovimus.* (Gal. 4. v. 22—31.) *Neque enim non est Sina mons, et non est Sion; non fuit Sara, et non fuit Agar, quia haec Apostolus Paulus ad duo retulit testamenta. Sic igitur hoc, quod scriptum est:* Parvulus Israel, et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum, *dicitur quidem de populo Israel, qui vocatur ex Aegypto, qui diligitur, qui eo tempore post errorem idololatriae, quasi infans, et parvulus est vocatus, sed perfecte refertur ad Christum.* Eatenus itaque hoc, quod de Osea est, adimpletum est in Christo, quatenus, divino consilio,

Israeliticae familiae itus ex Chananaea in Aegyptum, hujusque reductio pertinebat ad significandum, Christum esse portandum in eamdem Aegyptum, et reportandum.

XXXIII.

AMOS. 9. v. 11.

In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum ejus, et ea, quae corruerant, instaurabo, et reaedificabo illud, sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumaeae, et omnes nationes: eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens haec.

בַּיּוֹם הַהוּא אָקִים אֶת־סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת וְגָדַרְתִּי
אֶת־פִּרְצֵיהֶן. וַהֲרִסֹתָיו אָקִים וּבְנִיתִיהָ כִּימֵי עוֹלָם׃
לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם וְכָל־הַגּוֹיִם
אֲשֶׁר־נִקְרָא שְׁמִי עֲלֵיהֶם נְאֻם־יְהוָה עֹשֶׂה זֹּאת׃

Initio hujus noni capitis visio proponitur, in qua Amoso propheta Deus exhibebatur super altare stans, et ei mandans, ut cardines templi percuteret, et qua

percussione superliminaria illius ad motum impellerentur, gladiumque, captivitatem, aliasque poenas dixit se immissurum in domum Israel, quas non possit effugere, atque hanc se concussurum in omnibus gentibus, quemadmodum in cribro solet agitari frumentum, quin tamen lapillus, et granum frumenti excidat ullum, peccatores vero sui populi perituros gladio omnes. Ac deinde in die hac eadem a) se suscitaturum tabernaculum Davidis, quod cecidit, ejusque muros ex ruinis excitaturum, ac instauraturum sic, quemadmodum fuit in diebus antiquis. Tabernaculum Davidis, et domus illius regia collapsa est in Sedecia, ultimo rege Juda e stirpe Davidis. Quod si casus iste tabernaculi Davidis, et percussio cardinum templi, ad motumque impulsio, quo pacto istius quoque ostendebatur futurus casus, evenerunt, dum vastatum regnum Juda, eversumque templum per Chaldaeos est; estne tabernaculum Davidis suscitatum, quando ex captivitate Babylonica Judaei in patriam redierunt, atque templum instauraverunt? Advertendum etiam illud est, in illa eadem die Deus dixit, se hoc tabernaculum Davidis suscitaturum, qua percusso templo, et ad motum, casumque impulso, de populo suo Judaico gladio, captivitate, et dispersione in omnes gentes poenas repetiturus esset.

Ex quo ergo perspicuum fit, nec eam Judaeorum cladem hic praenunciari et captivitatem, quam hi subierunt per Chaldaeos in Babylonia, neque templi eam significari eversionem, quae facta per eosdem Chaldaeos est. Siquidem haec dum fierent, tabernaculi Davidis suscitatio, domusque ejus regiae, quemadmodum fuit prius, facta instauratio non sit. Et quando etiam postea in Davidis stirpe atque posteris regia refloruit dignitas? Angelus

---

a) ביום ההוא

Gabriel Mariae dixit de Christo, quem paritura erat: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.* Luc. 1. v. 32. Hoc idem ipsi etiam Davidi promissum fuit a Deo. Ad quem dixit: *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus.* 2. Reg. 7. v. 12. Hoc etiam praenunciatum est per Jeremiam: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David* (Davidi) *germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium, et justitiam in terra.* Jer. 23. v. 5. Domus Jacob, in qua Angelus dixit Mariae, Christum regnaturum in aeternum, est Ecclesia. Siquidem ii, qui ex Fide filii sint Abrahae. Gal. 3. v. 7. Dum ergo Christus sibi regnum acquisivisset sangvine suo, Act. 20. v. 28. istudque fundasset, et propagasset Apostolorum praedicatione; eodem tempore is Israel, qui antea fuit Dei populus, partim dispersione per Romanos affectus est, templo quoque Jerosolymitano funditus everso. Tunc itaque concussa est domus Israel in omnibus gentibus: sicut concutitur triticum in cribro: atque hoc illud est, quod etiam Joannes Bapt. hortans Judaeos ad poenitentiam, brevi illis denunciavit eventurum, dicens: *Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur — Cujus* (Christi) *ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextingvibili.* Matth. 3. v. 10. Nec granum ex cribro ullum excidit, et periit. Quia quos Christus a Patre suo accepit, etiam ex Judaica gente, non perdidit ex his quemquam. Joan. 18. v. 9.

Eo autem manifestius est, huc ad istud tempus, quando Christus suam instituit Ecclesiam per conversionem omnium gentium ad fidem, hanc spectare Amos

prophetiam, istamque esse tabernaculi Davidis dejecti, atque collapsi erectionem, atque renovationem, quando in hoc sensu etiam ab Apostolo Jacobo citata, et producta est, ut hinc probaret, Evangelii gratiam non esse restrictam ad solos Judaeos, quod circumcisi essent; sed patere hanc gentibus omnibus, quin his opus esset ad salutem obtinendam per Christum, ut etiam Judaeis per circumcisionem inserantur. *Simon narravit*, sunt Jacobi verba, *quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec.* Act. 15. v. 14. Est hoc testimonium productum juxta versionem Septvaginta vel jam ab ipso Jacobo, quid enim obstat, cur non Graeca etiam lingva loqui potuerint Apostoli in hoc concilio, quod tum actum ab ipsis est, cum prorsus probabile sit, affuisse ex iis, qui cum Paulo, et Barnaba missi ab Antiochenis Jerosolymam ad Apostolos controversiae dirimendae causa sunt Act. 15. v. 2. quosdam ex gentilibus conversos ad Fidem: vel certe Lucas, qui Acta haec Apostolorum scripsit, locum hunc ab Jacobo productum, citavit juxta versionem Septvaginta Graecam, utpote Graece scribens. In eo autem versio Graeca a fonte Hebraeo discrepat, quod istud: *Vt possideant reliquias Idumaeae, et omnes nationes*, a) ὅπως ἐκζητήσωσιν ὁι κατάλοιποι τῶν ανθρώπων, καὶ πάντα τὰ ἔθνη. Possessioque omnium gentium, et Idumaeae speciatim posita est in

---

a) לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם וְכָל־הַגּוֹיִם

Hebraeo

Hebraeo pro subjectione illarum erga hunc regem e Davidis stirpe, dum ejus suscitaretur tabernaculum, hoc est, erga Christum credendo in illum.

Non est praetereundum, quod ulterius adhuc est in hac prophetia: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus*, iidem isti videlicet dies, dum tabernaculum Davidis collapsum resuscitabitur, *et comprehendet arator messorem, et calcator uvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt: et convertam captivitatem populi mei Israel, et aedificabunt civitates desertas, et inhabitabunt, et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructus eorum: et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Nam per ubertatem, et abundantiam omnium rerum, quae ad victum pertinent, significatur erga Christi Ecclesiam ubertas donorum Spiritus Sancti per Christum, quibus alimur, et nutrimur ad vitam aeternam. Id, quod etiam Joelis 2. v. 19, 26. Cap. 3. v. 18. et saepissime alibi ita fit. Dumque plantatio populi Israel post depulsam captivitatem in sua humo pristina, stabilisque in ea, et firma habitatio in omne aevum, illum significet populum Israel, quae est Ecclesia Christi; firmitas, et stabilitas tabernaculi Davidici alione etiam pertinet, quam ad Ecclesiam? deinde cum Davidis tabernaculum, et humus Israel sint assumpta ad significandam Christi Ecclesiam, et liberatio ex captivitate, in qua Judaei Babylonica fuerunt, eam significet libertatem, quam adepti sumus per Christum; consequens proinde est, haec omnia typicam significationem habuisse erga Christum, ejusque Ecclesiam, atque isto etiam colore typico esse hanc Prophetae orationem praeditam, qua istud suum edidit vaticinium.

XXXIV.

MICHAEAE 5. v. 1.

Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.

וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה
מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם
מִימֵי עוֹלָם׃

Hoc de Christo vaticinatum esse Michaeam, et locum praedixisse, ubi is nasciturus esset, adeo perspectum fuit ipsis Judaeis, ut principes sacerdotum, et Scribae populi ab Herode interrogati, ubi Christus nasceretur, sine cunctatione respondere sciverint, juxta hanc Michaeae prophetiam, nativitatis illius locum esse Bethlehem. Quin ne ipsam quidem plebem istud latuit. *Nonne Scriptura dicit*, ajebat Joan. 7. v. 42. *quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* At postea Judaei, ne confiteri cogerentur, impletum hoc esse vaticinium in Christo, qui Jesus Nazarenus est; hoc de Zorobabele, qui dux Judaeorum fuit, dum hi sub Cyro reversi essent ex Babylonica

captivitate, templumque ex ruinis excitavit, detorte interpretari instituerunt, tametsi probare non possent vel natum esse in Bethlehem. De eodem deinde hoc, qui egressus ex Bethlehem dominator futurus esset in Israel, praedicatur, egressum illius fuisse ab initio, a diebus aeternitatis. Zorobabeline, aut cuidam alteri hoc convenire potest, praeterquam Christo, cujus solius egressus, et nativitas altera est habens initium temporis, altera ab aeternitate? Grotius, utpote cujus est, nullam existere veram de Christo prophetiam, etiam hoc in loco cum Judaeis de Zorobabele concinit.

Fuit superioris capitis V. 7—10. Jerusalem civitatem, ex captivitate, qua premebatur in Babylonia, eximendam a Deo esse: tumque redituram ei potestatem primam (pristinam) regnumque filiae Jerusalem, hoc est, Sionis, ubi videlicet in Sione rex illius sessurus in throno, et regnaturus sit: Dominumque a) in monte Sion regnaturum ex hoc nunc, et usque in aeternum, *ex hoc tempore usque in aeternum.* b) Dum ergo in hoc, quem tractamus loco, ex Bethlehem egressurus praedicatur, qui sit dominator in Israel, cujus tamen egressus sit ab initio, et a diebus aeternitatis; hujus dominatoris, quique idem V. 7. Jehova vocatur, et nativitas humana in tempore, et divina ab aeterno demonstrata est. Attamen David Michaelis istud: *Ex te* (ex Bethlehem) *mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis* ita vertit: *Ex te mihi egrediatur, qui dominator Israelis sit, cujus stirps jam in antiquissimis temporibus celebris fuit.* c) Nec aliter hoc etiam Jahnius Germanice

---

a) יְהוָה b) מֵעַתָּה וְעַד־עוֹלָם

c) Aus dir soll mir einer herausgehen, der Beherrscher von Israel wird, dessen Geschlecht schon in den ältesten Zeiten berühmt gewesen ist.

expressit, secutus eumdem Michaelis. a) Istud vero: *Mik-kedhem mime holam*, tantumne significat antiquum tempus, dum de Christo dicitur? Idem vocabulum *Jatza* est, quo expressum est, hunc Dominatorem Israelitis egressurum ex Bethlehem, et hujus egressum b) esse ab initio, a diebus aeternitatis. Dum vero idem vocabulum est, nisi quod primum in forma verbi, alterum in nominis forma sit, quare tamen hoc prius egressum, deinde stirpem, genus David Michaelis, et Jahnius vertit? Egressio deinde hujus dominatoris Christi ex Bethlehem significat ejus nativitatem. Ergo dum idem repetitur vocabulum in dicendo, hujus egressum esse ab initio, et à diebus aeternitatis, etiam nativitas ejusdem Christi est intelligenda ab initio, et a diebus aeternitatis. Qui Christus ex stirpe Davidis in Bethlehem natus est, dum nascebatur, fuitne jam natus ex hac stirpe Davidis etiam ab antiquissimo tempore?

Betlèhem alio nomine etiam Ephrata adpellabatur. Gen. 35. v. 19. Vtrumque ergo ejus nomen Propheta posuit, distinctionis causa ab alio etiam tribus Zabulon loco, cui idem nomen Bethlehem fuit· Josue. 19. v. 15. Haec civitas Bethlehem parvula dicta est a Propheta in millibus Judá, hoc est, inter familias tribus Juda. Nam Hebraicum *Eleph*, quo millenarius numerus exprimitur, generatim id omne etiam Hebraeis significat, quod compositum ex pluribus est. Idem vero hoc Michaeae testimonium sic est positum apud Matthaeum: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda.* Matth. 2. v. 5. Idem enim Eleph etiam ducem, et principem significat: idque, quemadmodum

---

a) Dessen Geschlecht von Alters her berümht ist. *Introd. Part. II.* §. 97.

b) מוֹצָא

a sacerdotum principibus, et Scribis productum fuit coram Herode. Non autem hi videntur, rem mutasse, sed interpres Graecus pro *Bealphe Jehuda* posuisse in sua versione Matthaei Graeca: *ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.* Et quae parva dicta est a Propheta, haec apud Matthaeum nequaquam minima esse dicitur ab ea, quam a Christo, in ea nato, consecuta est dignitatem, quin ejus parvitas quoad spatium, quo tendebatur, et incolarum numerum negata sit.

XXXV.

AGGAEI. 2. v. 7.

Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum, et terram, mare et aridam: et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

עוֹד אַחַת מְעַט הִיא וַאֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־
הָאָרֶץ וְאֶת־הַיָּם וְאֶת־הֶחָרָבָה׃ וְהִרְעַשְׁתִּי אֶת־כָּל־
הַגּוֹיִם וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם וּמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה
כָּבוֹד אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת׃

Dum Judaei templum Domini post suum reditum ex captivitate Babylonica instaurare, et exstruere coepissent, aliorum fuit ingens laetitia; aliorum vero, qui senes viderant templum anterius, fuit luctus, et ploratus: exortusque est inconditus quidam clamor, mixtus ex vocibus ovantium et plorantium. 1. Esd. 3. v. 12. Hoc tempore edita est haec prophetia. Id, quod apparet ex his verbis, quae jubente Deo, editurus hoc vaticinium, dixit Aggaeus ad Zorobabelem ducem populi, ceterosque omnes Judaeos: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* V. 4. Non tantum S. Hieronymus in Comment. S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei c. 35, 45. omnesque Patres, qui contra Judaeos scripserunt, argumentum, quod hinc sumpserunt ad probandum, Christum jam advenisse, invictum esse existimaverunt; sed etiam esse hoc vaticinium de Christo, et ejus adventu ad hoc templum, quod exstructum per Zorobabelem est, agnoverunt plures ex ipsis Judaeis, et confessi sunt in libro Sanhedrim, in Targumo Cantici canticorum, in pluribusque aliis locis. Alii autem, ut mos illorum est, hoc negant, vaticinium ad alium sensum trahentes. Hi adjutores strenuissimos, sicut jam vidimus in aliis de Christo vaticiniis, ita hic quoque nacti sunt interpretes nostros Neotericos, qui non tantum argumenta, quae jam fuerunt etiam Judaeis, firmare conantur; sed nova etiam ad hanc evertendam prophetiam repererunt, si tamen vel dici merentur argumenta: cum tantum magis sint textus depravationes, et detortae, violentaeque explicationes.

Sic vero locum hunc interpretantur: Motio, quam se Deus facturum dicit, sunt illa bella, quibus brevi postea Alexander Magn. concussit totam Asiam, everso etiam Persarum imperio. Desideratus gentibus sunt thesauri, et res pretiosae gentium, quae ab his muneri sint

deinde missa templo: atque istam futuram gloriam, qua templum implendum sit, quae in hoc vaticinio praedicatur. In hunc eumdem modum haec etiam, quae subsequuntur, et continuatio sunt istius prophetiae, convertunt in congruentem his, quae modo dicta sunt, sensum. Sunt ulteriora verba Dei loquentis per Aggaeum: *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Itaque aurum, et argentum, quod suum Deus esse dicit, est secundum istos tantum iterum illud, quod templo gentes dono daturae erant, et ex qua donorum magnitudine, atque copia domus istius novissimae amplior gloria fuerit, quam prioris. Pax denique, quam Deus se ex hoc templo daturum spopondit, ea fuit, qua Judaei sub Persarum imperio usi sint. Sic dextre hoc vaticinium interpretatus est David Michaelis in suis Adnotationibus, sic huic concinuit etiam Jahnius *in Introduct.* (*Germ.*) *Part. II.* §. 156.

Motio ergo caeli, terrae, maris, et aridae, atque omnium gentium est orbis terrarum concussio per Alexandrum M. juxta Davidem Michaelis, et Jahnium. At vero S. Paulus docet hanc eam futuram motionem, quando caelum, et terra dissolventur, sic loquens: *Cujus* (Dei) *vox movit terram tunc*, in monte Sinai, dum lex data esset inter ignes, tonitrua, et fulmina, *nunc autem repromittit: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et caelum. Quod autem adhuc semel dicit; declarat mobilium translationem, tanquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia.* Hebr. 12. v. 26. Nam haec mobilium translatio, hoc est, destructio, et ablatio fiet, dum *Caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae sunt in ea opera, exurentur.*

1. Petr. 3. v. 10. Agnovit David Michaelis in Adnotat. in hunc Epistolae ad Hebraeos locum ista Aggaei de motione caeli, et terrae intelligenda esse de ea motione, quae futura est in fine mundi, et qua mundus iste destruetur, et dissipabitur. Quod cum ab ejus interpretatione discreparet ,negavit hunc verborum Aggaei sensum esse, qui in epistola ad Hebraeos de mundi dissolutione, extremo ejus tempore, expressus est: et ne in Apostolum Paulum conferret praeposteram intelligentiam, a) negavit Paulum hujus auctorem esse. Apostolus Paulus non se adcommodavit interpretationi Davidis Michaelis; ideo illo judice suam etiam perdere hanc debuit epistolam: et qui alius auctore Michaelis hanc epistolam composuit, Aggaeum non intellexit, verbaque illius perperam sumpsit, quia in horum intelligentia cum Michaelisio non consensit. Jahnius, quia idem quod David Michaelis facere ausus non est, et epistolam ad Hebraeos arguere ineptiae, et inscitiae, quo pacto neque canonica auctoritas ei competere posset, altum tacet de hac epistola ad Hebraeos, attamen suum ex Davide Michaelis haustum sensum de motu orbis terrarum per Alexandum Magn. nulla epistolae istius facta mentione, suis lectoribus propinat. Est vero ipsis etiam Protestantibus certa, et indubitata auctoritas canonica Epistolae ad Hebraeos. Ergo neque sensus verborum Aggaei, contrarius testimonio hujus Epistolae, quem David Mich. et Jahnius statuit, stare potest.

At vero, si Aggaeus de ea motione caeli, et terrae, omniumque gentium loquitur, quae futura est in fine mundi, id quod fiet in secundo Christi adventu ad celebrandum

---

a) Quae hic Davidem Michaelis in officio tenuit reverentia erga Paulum, hanc tamen alibi pensi non habuit, nec erga hunc, nec erga Petrum. Vide Notam ad Psal. 15. Nro XIX.

judicium, quomodo, si a Christo repetitur gloria istius secundi templi, quod ad hoc venturus, suaque illud praesentia illustraturus esset, gloria haec templi stabit, ad quod Christus in secundo suo adventu venire non potest, quod non erit, jamque pridem non est? Sed neque argumentum esse poterit, Christum jam advenisse, quia hunc stante hoc secundo templo venire oportuerit; siquidem prophetia haec agat de Christi adventu ad judicium. At vero non in hoc tantum, sed aliis etiam vaticiniis fit, ut dum res canuntur de Christo, hae tales conjunctim memorentur, quae tempore, etiam longissime, dissitae sunt: nec tantum de ejus utroque adventu sermo conjunctim instituatur, verum etiam illa attingat, quae ad gloriosum Christi regnum pertinent in caelo. Sic Joel uno, eodemque vaticinio cecinit, et Spiritus s. effusionem super omnem carnem, id, quod pertinuisse ad diem Pentecostes, quando Spiritus s. venit super Apostolos, constat testimonio S. Petri Act. 2. v. 16. et solem convertendum esse in tenebras, et lunam in sangvinem, daturumque Deum prodigia in caelo, et in terra, sangvinem, et ignem, et vaporem fumi: quod futurum est tantum adhuc in secundo Christi adventu. Joel. 2. v. 28. Perinde Sophoniae 3. v. 8—13. est conjunctim prophetia et de extremo Dei judicio de omnibus gentibus, et de conversione gentium ad Deum, et solis Judaeorum reliquiis servandis.

Dum ostensum est testimonio Apostoli Pauli, esse hoc Aggaei vaticinium de Christo, nemo dubitabit, falsum id omne esse, quod in sua explicatione David Mich. et Jahnius afferunt, alio trahentes hanc prophetiam: nisi quis forte istos magis audiendos, quam Apostolum Paulum putaverit. Attamen videamus cujusmodi illorum sint etiam cetera, quae habent ad abstrahendam hanc a Christo prophetiam. Per desideratum gentibus ponunt res pretiosas esse intelligendas, quae donc missae sint templo

a gentibus. Nam in Hebraeo esse, *Venient desiderium:* a) *quod non unicam personam, sed collectivum innuat* sunt verba Jahnii Introd. (Lat.) Part. II. §. 156. deinde, quod *Chemda*, desiderium, *abstractum sit, et in hujusmodi phrasibus pro objecto desiderii veniat, et significet desiderabilia, pretiosa, thesauros.* Ad quam significationem comprobandam complura deinde Scripturae loca allegat. Ipse vero David Michaelis, cujus auctoritatem, credo, non respuet Jahnius, ex quo fonte pleraque sua habet, ponens hunc eumdem in sua versione de thesauris, et rebus pretiosis sensum, fatetur deinde in suis Adnotationibus, se recessisse a punctis Hebraicis, juxta quae vertendum sibi fuisset: *Et venient ad eum, qui solatium, vel qui gaudium gentium est, et quibus Christus intelligatur.* b) Nam et abstracta nomina pro concretis solere adhiberi ab Hebraeis, et numeri singularis cum plurali fieri permutationem, quis tantillum gnarus lingvae Hebraeae est, qui nesciat? Id, quod utrumque jam etiam supra ad Daniel. 9. v. 24. exemplis demonstratum est. Quod vero Jahnius dicit, in hujusmodi phrasibus, cujusmodi est haec: *Bau Chemda*, abstractum pro objecto desiderii venire, et significare *desiderabilia*; primum conceditur: et quid tunc consequens erit? nempe objectum desiderii esse Christum: alterum negatur. Nam si objectum desiderii fuerit persona, haec desiderii nomine significabitur. Dum Tullius lib. 14. Fam. 2. dixit de Tulliola filia sua. *Hem mea lux, meum desiderium!* fuitne hoc inanimum? Quotcumque vero loca conquisiverit ex Scriptura Jahnius, ubi desiderium usurpatur

a) בָּאוּ חֶמְדַּת

b) Ich bin hier von Jüdischen Puncten abgegangen, nach denen ich übersetzen würde: Und sie werden zu dem kommen, der das Vergnügen, oder die Freude der Heiden ist: worunter man den Christum verstehet.

de re inanima desiderata, hinc tamen iterum nulla recta conclusio erit non idcirco etiam hoc usurpari erga personam, remque animatam. Dum Caut. cap. 5. v. 16. Sponsa de Sponso dicit: *Totus ille desideria* a) annon *desiderium* etiam de persona usurpatum est?

Adhuc ulterius insistit probare Jahnius, per desideratum gentibus intelligi pretiosa dona, oblata templo. Nam *materiam substratam vaticinii esse magnificentiam templi.* Quod vero falsum est, si magnificentiam templi iterum eam intelligit, quae ex ejus vel magnifica, et splendida structura, vel thesauris, quibus refertum fuerit, venerit. Nam scopus fuit prophetiae, docere, hujus templi, quod sic, quasi nec esset, adparebat in eorum oculis, qui anterius Salomonis viderunt. et propterea lugerent, tamen futuram majorem gloriam, quam fuerit templi prioris, simulque praedicere, unde hujus futura ista esset major gloria, ut sic character, et nota daretur temporis, intra quod venturus Christus esset. Cur magnificentiam templi pro ejus gloria substituit, dum gloria istius templi dicitur major in prophetia, non magnificentia? Ipse magnificentiam templi pro materia substrata vaticinii ponit. Hoc est in quaestione, et probari debet, non certum potest poni. Dum autem certum ponitur in argumentatione, quod est adhuc in quaestione, est mala argumentatio, affecta vitio, quae principii dicitur petitio.

Ex nexu vero etiam, et orationis serie vult evincere per desideratum gentibus intelligendas esse templi res pretiosas. Quia V. 9. Deus dixerit: *Meum est argentum, et meum est aurum.* Quid si autem ex hoc contextu potius contrarium sequitur. Edita est haec prophetia, cum Judaei templum istud despicerent, ideo, quod non

---

a) כֻּלּוֹ מַחֲמַדִּים

ita auro, atque argento fulgeret, quemadmodum anterius. Huc itaque respondet Deus, suum esse aurum omne, atque argentum. Non ergo istud sibi defuisse, si hinc templi sui quaesivisset gloriam: et quamvis carens isto splendore despiceretur, tamen hoc se impleturum majore gloria, quam templum habuerit anterius. Quod principem in hac prophetia locum tenet, istud est. *Venit desideratus cunctis gentibus*: quo cetera referuntur omnia, vel directe, tanquam huic subjecta, atque ex hoc manantia; vel per comparationem, tanquam a minore ad majus. Non ergo templum est, erga quod Deus dixerit, suum esse aurum, et argentum, quasi his templum deinceps exornaturus esset; sed iste Desideratus cunctis gentibus, ex quo, non ex auro, et argento habiturum sit hocce templum gloriam priore templo majorem, Christus est.

Sed neque ab auro etiam, et argento magnificentius fuit, ac splendidius templum hoc alterum primo. Tantum cogitetur, quantam auri, et argenti, et lapidum pretiosorum vim David tradiderit Salomoni 1. Paral. 22. v. 14. in structuram templi, quantas opes Salomon habuerit, et quam pro dignitate Dei istud studuerit aedificare. 2. Par. 2. v. 5. Illa gentium dona omnia fundantur in eo, quod est 2. Mach. 3. v. 2. *Fiebat, ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiae rex de reditibus suis praestaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Idem vero Seleucus rex etiam ad depraedandum templum Heliodorum miserat, et cui Onias summus sacerdos exhibuit, omnia, quae in thesaurario templi essent, partim esse ad victum viduarum, et pupillorum pertinentia, partim pecunias depositas, et creditas tutelae templi. V. 10. Brevi postea Antiochus Epiphanes non tantum templi thesauros, atque omnem ejus pretiosam supellectilem rapuit, sed

ipsum etiam templum indignissime profanavit, Jovi illud sacrans. 1. Mach. 1. v. 23. 49. 2. Mach. 6. v. 2. Quo tempore autem Pompejus M. ad dirimendam litem de regno inter Aristobulum, et Hyrcanum Jerosolymam venit, docet Josephus *lib.* 14. *Antiq. c.* 8. non plura, quam 2000 talenta argenti in templi thesaurario exstitisse. Sed Herodes postea scilicet istud ita evexit, ut huic in splendore, et opulentia cedere vetus illud templum Salomonis debuerit. Nempe Herodes comparari potest in opibus cum Salomone. Et quemcunque splendorem ei indiderat, dum tamen templum inferius splendore, et magnificentia fuisse docet Josephus *lib.* 1. *de Bello c.* 16. aedibus, quarum alteras memoriae Caesaris, alteras Agrippae idem Herodes exstruxit, quae ista templi gloria etiam per Herodem fuit, qui Caesaris, et Agrippae honoribus magnificentiores aedes fecit? Ne ipsi quidem Judaei, ex quibus est Jarchi, Kimchi, et Babylonicum Thalmud *in Joma*, *et Sepher Aemana*, dant fuisse templum secundum primo templo nobilius, et gloriosius, ideo quod arca foederis caruerit, nec Vrim et Thumim jam habuerit, et Schekina quoque ex hoc secundo templo abfuerit. Per Schekina Judaei intellexerunt Dei sedem, quasi residentis supra arcam in templo. Quatenus autem Christus in hoc templo secundo praedicavit Evangelium pacis; eatenus etiam Deus pacem dedit in hujusce templi loco. Hunc locum Aggaei Jahnius adhibuit etiam in suo Enchiridio §. 20. tanquam exemplar rectae interpretationis ex contextu. In Introductionis vero suae jam supra citato loco etiam S. Hieronymo notam inurit non recte factae interpretationis. (Germanice expressit: Ganz unrichtig). Qualis ipsius Jahnii interpretatio sit, et quam rite facta, credo, satis apparere ex ea, quam modo illius fecimus considerationem.

XXXVI.

ZACHARIAE 2. v. 8.

Haec dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quae spoliaverunt vos. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt praedae his, qui serviebant sibi: et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.

כִּי כֹה אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת אַחַר כָּבוֹד שְׁלָחַנִי אֶל־הַגּוֹיִם
הַשֹּׁלְלִים אֶתְכֶם כִּי הַנֹּגֵעַ בָּכֶם נֹגֵעַ בְּבָבַת עֵינוֹ׃ כִּי
הִנְנִי מֵנִיף אֶת־יָדִי עֲלֵיהֶם וְהָיוּ שָׁלָל לְעַבְדֵיהֶם
וִידַעְתֶּם כִּי־יְהוָה צְבָאוֹת שְׁלָחָנִי׃

Antecessit visio, quam habuit Zacharias ista: Angelus ei apparuit ferens in manu funiculum, cujusmodi adhiberi solet in mensionibus, et pergens ad faciendam mensionem, quanta urbis Jerosolymae futura esset longitudo, et latitudo. Tum vero alius occurrens angelus praedicabat futurum, ut Jerusalem absque muro habitetur propter multitudinem hominum, et jumentorum in ea, Deumque ei futurum pro muro igneo per omnem ejus circuitum,

et in ejus medio habitaturum in gloria. Res haec non pertinuit ad veterem Jerusalem, haec enim dum instaurata esset, moenibus cincta est, neque si ei Deus fuisset pro muro igneo, vincere eam, in eamque grassari potuisset Antiochus, et invicta etiam stetisset adversus Romanos, a quibus vero solo aequata est. Sed haec Jerusalem est novi foederis Ecclesia, adversus quam portae inferi non praevalent: et in cujus medio Christus est in sua gloria, tanquam ejus rex in throno. *O, o, fugite*, referuntur deinde ista Dei verba, *de terra Aquilonis, quoniam in quatuor ventos dispersi vos! O Sion fuge, quae habitas apud filiam Babylonis!* Intelligitur autem, ut huc fugerent habitatum ad hanc Jerusalem. Dispersi autem in quatuor ventos, et per omnes quatuor plagas mundi profecto ii sunt, de quibus Christus dixit: *Multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno caelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. v. 11. Qui Sionis nomine compellantur, etiam dum adhuc habitarent apud filiam Babylonis eo modo, quo Christus jam oves suas vocavit, quas tantum adhuc postea adducturus ad ovile suum erat. Joan. 10. v. 16.

Haec postquam antecesserunt, sequitur istud deinde: *Quia haec dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quae spoliaverunt vos.* Dominus vero exercituum se missum dicit post gloriam ad gentes: et aliusne est missus post gloriam ad gentes, quam cui dictum est a Deo: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae?* Psal. 2. v. 8. Hic Dominus exercituum a) est verus Deus. Neque cuipiam alteri uspiam in Scriptura hoc nomen praeterquam soli Deo tribuitur. Itaque manifeste hoc in

---

a) יְהוָה צְבָאוֹת

loco Christi praedicata est divinitas. Post gloriam vero suam missus ad gentes est, utpote ex quibus suum habiturus regnum esset. *Ad gentes,* autem, *quae*, inquit, *spoliaverunt vos.* Dum jam ex coutextu liquet, sub nomine novae Jerusalem sermonem esse de Ecclesia; eae gentes etiam intelligendae sunt hanc spoliasse, quae se infestas praebuerunt Ecclesiae: et quas ipsas dum Christus adduxit ad suum obsequium conversas ad Fidem, ex his suam sibi etiam gloriam comparavit. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* In Hebraeo est: *Oculi illius.* a) Ejus videlicet, a quo Dominus exercituum, qui loquitur, missum se dixit. Iste ergo Deus Pater est. Dicit Christus de se: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Luc. 9. v. 56. Dicitur itaque, et significatur, Christum his ipsis, qui se infensos exhibuerint Ecclesiae, et quamvis pupillam oculi Dei tetigissent, tamen gratiae suae dona collaturum esse.

Itur adhuc deinde ulterius sic in hoc eodem vaticinio: *Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt praedae his, qui serviebant sibi*, juxta Hebraeum: *servis suis:* b) hoc est, iis, quos sua prius presserant servitute, *et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Domini exercituum etiam haec sunt verba, isque se missum dicit a Domino exercituum. Tam ergo is, qui misit, quam qui missus est, Dominus exercituum est. Super hos itaque manum levavit, et testabatur, praedae futuros iis, quos prius presserant, et afflixerant, cogniturosque hunc Dominum exercituum, qui loquebatur, missum se a Domino exercituum esse. Christus post ultimam coenam in sua precatione ad Patrem de Apostolis dicebat: *Cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti.* Joan. 17. v. 8. Ex quo apparet, quid sit Christum a Deo missum esse, a quo videlicet processerit

---

a) עֵינוֹ b) לְעַבְדֵיהֶם

per

per nativitatem. *Lauda, et laetare filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.* Idem Dominus exercituum, qui se missum dixit. *Et applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa; et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui; et scies, quia Dominus exercituum misit me ad te.* V. 10. 11.

Etiam Cap. 4. v. 8. duae Personae divinae, ab invicem distincte exhibentur, ubi sic loquitur Propheta: *Et factum est verbum Domini* a) *ad me dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam: et scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos.* Qui ad Prophetam hoc dixit: *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam*, Jehova est. Idem vero etiam se missum a Domino exercituum esse dixit. Iterum igitur distinctio Personarum divinarum fit manifeste: quarum altera est Dei filius Christus a Patre missus, altera Pater Filium suum in mundum mittens. David Michaelis, divinitatem Christi semper quidem agnoscens, et prae se ferens, sed non raro etiam de divinitate Christi documenta Scripturae pervertens, in hoc tamen utroque Zachariae C. 2. et 4. loco, fatetur, se non videre quomodo haec aliter, quam de increato Angelo, id est, de Persona secunda in Deitate intelligi possint. Jahnius autem in Introductione sua Part. II. §. 159. recensens, quid his capitibus contineatur, non tantum in his nihil vidit, quod spectet ad Christum, sed nec ullam facit mentionem distinctionis istius divinarum Personarum.

---

a) דְּבַר יְהוָה

XXXVII.

ZACHARIAE. 9. v. 9.

Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem! Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et adscendens super asinam, et super pullum filium asinae. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus: et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae.

גִּילִי מְאֹד בַּת־צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת יְרוּשָׁלַם הִנֵּה מַלְכֵּךְ
יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמוֹר וְעַל־עַיִר
בֶּן־אֲתֹנוֹת׃ וְהִכְרַתִּי־רֶכֶב מֵאֶפְרַיִם וְסוּס מִירוּשָׁלַם
וְנִכְרְתָה קֶשֶׁת מִלְחָמָה וְדִבֶּר שָׁלוֹם לַגּוֹיִם וּמָשְׁלוֹ מִיָּם
עַד־יָם וּמִנָּהָר עַד־אַפְסֵי־אָרֶץ׃

Hanc prophetiam, sunt verba S. Hieronymi in Commentar. *Evangelistae scribunt esse completam, quando Dominus ingressus est Jerusalem, sedens super asinam. et pullum asinae, et puerorum cum ramis occurrit turba.* Nam sic loquitur S. Matthaeus: *Hoc autem totum*, inquit, *factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus etc.* Matth. 21. v. 4. et S. Joannes insuper etiam declarat, hoc cum factum esset Christo, discipulos illius, cur fieret, non intellexisse. *Sed quando*, inquit, *glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo, et haec fecerunt ei.* Joan. 12. v. 16. Etiam Judaeos non tantum vetustiores, sed recentiores quoque complures omnino locum hunc de Messia intellexisse, apparet ex libro Sanhedrim, ex Bereschit utraque, Rabba, et Ketanna, ex Midrasch Coheleth, idemque etiam Aben Ezra, Moses ben Majmon, et plures alii de Messia docuerunt accipiendum.

Initium istius vaticinii fit a principio capitis noni in Zacharia, praediciturque futurum, ut Deus sibi locum quietis, et habitationis constituat in terra Hadrach, et Damasci, in Deique possessionem veniat Emath, Tyrus, Sidon, Ascalon, aliaeque Philisthaeorum civitates, mundatique earum incolae a sangvine, et abominationibus suis fiant Dei haereditas. *Quae omnis prophetia*, inquit S. Hieronymus iterum in Commentario, *ad vocationem gentium, et exstructionem Ecclesiae pertinet.* Hadrach, cujus alibi nusquam mentio in Scriptura fit, juxta Adrichomium *in Descript. Terrae sanctae p.* 75. oppidum in Coelesyria fuit. Vicinum fuisse Damasco, inde conjectura fit, quod cum hac civitate conjunctim ponatur.

Post haec deinde sequitur *Exulta satis* (valde a) *filia Sion! jubila filia Jerusalem!* Dum civitates filiarum nomine solent appellari consvetudine loquendi Hebraica; idem ergo hoc est, atque si esset: Exulta Sion! jubila Jerusalem! *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse pauper, et adscendens super asinam, et super pullum filium asinae.* Dum anteriora pertinuerunt ad vocationem gentium, et ad exstructionem Ecclesiae, facile perspectu est, quae etiam haec Sion, et Jerusalem intelligenda sit, cui dicitur, ut exultet, et jubilet. Deinde tantum abest, ut Judaeorum Jerusalem vetus excitetur ad laetitiam; ut Christus etiam fleverit super eam, dum asino tunc vectus ei adpropinquasset. Luc. 19. v. 41. Et tamen hanc veterem Judaeorum Jerusalem intrans, vectus asino, implevit Christus prophetiam: quia videlicet ad illam venerat, ubi Ecclesiam, quae Christi regnum est, acquireret sangvine suo, Act. 20. v. 28. et quod illic initia Ecclesiae, regnique Christi jacta sint, facta Jerosolymae prima Spiritus s. effusione super Apostolos, primosque fideles die Pentecostes, et ex qua urbe Jerosolyma Evangelii, atque una Ecclesiae, et Christi regni propagatio facta est in universum mundum. Luc. 24. v. 47. Dispersio quadrigae ex Ephraim, equi de Jerusalem, et dissipatio arcus belli pertinet ad significandam pacem, quam Rex iste allaturus erat. Qua ratione etiam apud Isaiam est: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium.* Isa. 2. v. 4. Id quod subsequentia etiam verba: *Et loquetur pacem gentibus*, clare indicant. *Et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus* (a flumine b) *usque ad fines terrae.* Quod clarum est,

---

a) מְאֹד b) מִנָּהָר

pertinere ad extensionem Ecclesiae, et regni Christi per universum mundum, et confirmatur etiam Psal. 2. v. 8. Psal. 71. v. 8.

Sunt vero etiam ex Judaeis, qui in isto aeque vaticinio, ut faciunt in similibus aliis, laborent alio adcommodando, ne impletum videatur esse in Christo, ad Zorobabelemque trahunt, dicentes, hunc, dum ex Babylonia, dux Judaeorum reverteretur, in asino rudera urbis intrasse: quin demonstrare sciant, hunc vel in asino sedisse aliquando. Istis Grotius adhaeret, utpote cujus est, nullam admittere veram erga Christum prophetiam, et ceteri, qui ejusdem sunt sententiae de prophetiis: aut sicut hi Zorobabelem, ita ipsi etiam quempiam alium comminiscuntur. Nec tamen, quemcumque alium urbis Jerusalem, et Sionis regem, aut principem ponant esse, qui sit designatus per hanc prophetiam, possunt emergere: dum nullum, possunt proferre, cujus potestas fuerit a mari usque ad mare, hoc est, ab uno fine orbis terraquei, ad finem alterum, maribus enim undique is ambitur, et a flumine sive Jordane, sive Euphrate usque ad fines terrae. Alii solummodo illud, quod in V. 9. est, ut exultet Sion, et Jerusalem, quod rex ejus venerit sedens super asinam, ad Christum pertinere volunt. Nimis enim clarum est, Evangelistarum testimonio, esse hanc praedictionem de Christo. Sed omne, quod propheticum de illo fuit, volunt impletum in illo Christi ingressu Jerosolymam: nec explicant, siquidem neque possint, quomodo ei Jerosolymae, quae urbs terrestris Judaeorum fuit, Christus venerit, velut illius rex: quem iidem Jerosolymae vastatorem, et eversorem fecerunt in Danielis prophetia Cap. 9. v. 26. quemadmodum ibi demonstratum est, et cujus regnum non

---

a) מְנֻדָּר

fuit de hoc mundo. Cetera vero in hac prophetia omnia alio avertunt, ea, quae V. 9. antecedunt, ad Alexandrum M. ejusque victorias referunt; quae vero hunc V. 9. sequuntur ad Machabaeos, resque per hos pro Judaeis prospere gestas. In Appendice Hermenevticae suae Jahnius, in qua quaedam Scripturae loca interpretatur, ut specimen rectae interpretationis exhibeat, etiam insuper arguit in V. 9. in his verbis: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator*, istud: *Salvator*, non esse bene versum, sed debere esse *Salvatus*. Siquidem in Hebraeo sit *Noscha* a) quod participium sit passivae vocis. Verumque est, quod dicit. Attamen meminisse illum etiam oportuisset, verba, quae apud Hebraeos in usu non sunt in voce activa, solere esse significationis activae in voce passiva. b) Quare non tantum Latinus interpres in activa significatione istud *Noscha* sumpsit, sed etiam Septvaginta, vertentes σώζων, et Chaldaeus quoque, atque Syrus. Juxta Jahnium autem sequeretur Christum tum, cum Jerosolymam ibat ad festum Paschatis, in quo in crucem actus, et occisus est, ivisse, ut ipse ibi salvus fieret, non ut nos salvos faceret!

---

a) נוֹשָׁע b) נִשְׁבַּע *Juravit*, נֶאֱנָח *Gemuit*, suspiravit, et plura sunt talia.

XXXVIII.

ZACHARIAE 11. v. 12.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.

וַיִּשְׁקְלוּ אֶת שְׂכָרִי שְׁלֹשִׁים כָּסֶף: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי
הַשְׁלִיכֵהוּ אֶל־הַיּוֹצֵר אֶדֶר הַיְקָר אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם
וָאֶקְחָה שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יְהוָה
אֶל־הַיּוֹצֵר:

Evangelista Matthaeus, postquam narrasset, Judam retulisse triginta argenteos ad principes sacerdotum, et seniores, et projecisse in templo, quos ab his acceperat, ut Christum eis traderet, istique hanc pecuniam censuissent, non esse reponendam ad corbonam, et thesaurarium templi, quod pretium sangvinis esset, sed agrum figuli ea emissent ad sepulturam peregrinorum; subjecit deinde haec verba: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Et*

acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Matth. 27. v. 9. a) Hinc ergo certum fit, vaticinium hoc spectasse ad Christum, ejusque traditionem in manus sacerdotum, et seniorum per Judam pro triginta argenteis, esse praedictam. Sic autem descensum a superioribus huc, et ad hoc praedicendum est: Monti Libano, quo nomine intelligitur templum Jerosolymitanum, e cedro montis Libani exstructum, deinde cedris, abietibus, quercubusque Basan, quique iidem etiam proprio deinde vocabulo, magnifici, et eminentiores in populo vocantur, itemque generaliter habitatoribus terrae omnibus denunciatur exitium, et vastitas, nec parsurum ultra esse Deum.

Memorat deinde Deus, quem Israelitico populo favorem, atque affectum prae omnibus aliis nationibus exhibuerit. Nam duas sibi assumpsisse virgas, *baculos* b) quarum alteram decorem vocaverit, alteram funiculum, *et pavi*, inquit, *gregem*. Eam vero virgam, quae decor vocata est, se abscidisse, ut irritum faceret foedus suum, quod percusserat cum omnibus populis. Quodnam hoc Dei foedus intelligendum sit cum omnibus populis, inde perspici potest, quod Gen. 17. v. 14. sit, masculum in-

a) Mendose esse Jeremiam pro Zacharia positum patet. Solet vero Matthaeus, dum producit Prophetarum vaticinia, istud in huncce modum facere, ut appellativum tantum Prophetae nomen ponat, non proprium, quemadmodum est: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem.* Matth. 1. v. 22. itemque C. 2. v. 5. C. 2. v. 15. C. 13. v. 35. etc. Cujusdam itaque praepostera diligentia sarciendi, quod videretur excidisse, sumptumque ex Jeremiae 32. v. 9. ubi est, ab hoc agrum quempiam emptum esse, Jeremiae nomen huc instrusum est.

b) מַקְלוֹת

circumcisum delendum de populo suo esse, quia Dei pactum irritum fecerit; deinde quod Deus gentes omnes creaverit in laudem, et nomen, et gloriam suam. Deut. 26. v. 19. Hoc ergo erat foedus Dei cum omnibus gentibus constitutum vi creationis. Et ideo virga, quae potestatis insigne est, omnes gentes designans, ex quibus sibi instituerit gregem, quem pasceret, vocatus est decor: siquidem decuisset, omne genus humanum in Dei cultu, et observantia permanere. In quo foedere cum non stetissent, a cultuque Dei se alienassent, abscidisse Deum hanc virgam, atque a se projecisse. Idemque postea hoc erga alteram virgam, quam funiculum vocaverit, Deum fecisse. Per hanc vero virgam Israeliticus designatus est populus, quod hunc Deus in suam haereditatem, et peculium assumpserit, Exod. 19. v. 5. funiculum sumendo pro mensione fundorum inter haeredes. Erga istos quoque Dei animam esse contractam, taediumque, et aversio significatur: siquidem et illorum anima erga Deum variaverit, nec firma, atque constans in fide erga illum manserit: (presse juxta Hebraeum est, *nauseavit me*, a) et quorum idcirco tres pastores in mense uno succiderit. Ternarius numerus, indefinite etiam pro magno numero quocumque sumitur, Amos. 1. v. 3, 6, 9. etc. ac proinde de ipsa etiam universitate rei, de qua sermo est, sumi solet. Mensis accipitur pro spatio ab hac prophetia usque ad tempus, quo hi pastores tres succidantur. Pastores vero intelliguntur sacerdotes, et legis doctores. Cum legis veteris abrogatione cessavit etiam ejusdem legis veteris sacerdotium. Quod vero factum per Christum est. Non minus autem anni circiter quingenti ab anno secundo Darii, quo Zacharias vaticinari coepit, ut est C. 1. v. 1. usque ad Christum dici mensis possunt, quando cum

---

a) בָּחֲלָה בִי

ipsum certum non relinquit; tamen hoc constituit in sola tantum adumbratione. Sic enim etiam in Introductione sua (Germ.) Part. II. §. 159. de hoc vaticinio, sensa sua exprimens, dicit, *videri aliquos ductus de Messia continere* (Einige Züge von dem Messias zu enthalten scheint). Dum vero dicit, ex sacris Auctoribus inprimis Matthaeum esse, qui loca V. T. ob aliquam duntaxat similitudinem adducere soleat; non tantum in Matthaeo, sed etiam in aliis auctoribus sacris ponuntur ab eo citationes ex Veteri Testamento non secundum rei veritatem fieri, sed per solam tantum adcommodationem. Totam vero hanc prophetiam sua dexteritate interpretandi ad bellum Judaeorum cum Romanis, quod hi duce Tito Vespasiano gesserunt, transfert, tam violenta adcommodatione, ut huc ea trahat, quae ipse David Michaelis, ex quo hanc interpretationem accepit, fateatur se eo adcommodare nescire, et de omni hac sua interpretatione, quam hiare videt, ipse etiam dubitet, num recta sit. Nam, velim, consideretur, quam aptum istud sit, et quam bene cohaereat, dum Virgam, quae *Decor* in hac prophetia adpellatur, quaeque fracta a Deo est, et abscissa, docet, significare, Deum irritum facturum suum foedus cum gentibus, id est, Hebraeos jam non protectum iri a Deo adversus gentes sibi infestas; per virgam alteram, quae *Funiculus*, et haereditas vocata a Deo est, intelligit Judaeos rebelles contra Romanos, et inter se confoederatos. *Append. pag.* 235, 154. Si virga vocata Decor, significavit Dei foedus cum gentibus, hocne in irritum Deus misit, dum prosperitatem ipsis adversus Judaeos tribuit? et pro scelestissima confoederatione hominum nequissimorum Deusne sibi, tanquam pro beneficio erga Judaeos, mercedem petiit?

XXXIX.

ZACHARIAE 13. v. 6.

Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute Pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos.

וְאָמַר אֵלָיו מָה הַמַּכּוֹת הָאֵלֶּה בֵּין יָדֶיךָ וְאָמַר אֲשֶׁר
הֻכֵּיתִי בֵּית מְאַהֲבָי׃ חֶרֶב עוּרִי עַל־רֹעִי וְעַל־גֶּבֶר
עֲמִיתִי נְאֻם יְהוָה צְבָאוֹת הַךְ אֶת־הָרֹעֶה וּתְפוּצֶיןָ
הַצֹּאן וַהֲשִׁבֹתִי יָדִי עַל־הַצֹּעֲרִים׃

Ab initio capitis superioris duodecimi sumitur exordium istius, quam modo assumpsimus interpretandam prophetiam. Spondet Deus urbi Jerusalem (Ecclesia haec novi foederis intelligitur) suum auxilium, et defensionem adversus hostes, qui ad eam oppugnandam conventuri undique, et inter quos futurus, etiam Judas sit, id est Judaei. *Et effundam*, inquit, *super domum David, et super*

habitatores Jerusalem Spiritum gratiae, et precum, et adspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. C. 12. v. 10. Postquam Christus in cruce exspirasset, et latus illius lancea transfixum fuisset, subjungit deinde Joannes 19. v. 36. *Facta sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo, et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.* De illis vero videntibus, et contemplantibus eum, quem transfixerunt est hoc, *qui aderant*, ut Lucas inquit C. 23. v. 48. *ad spectaculum istud, et videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*: quod etiam fecisse centurionem, et omnem turbam, idem testatur Lucas, itemque de illis, ad quos Petrus cum habuisset sermonem die Pentecostes, et ostendisset, eum, quem ipsi interemissent, esse a morte suscitatum, et esse eum, qui promissus ipsis fuerit Messias, compuncti sunt corde, in Christumque crediderunt. Act. 2. v. 37. Sunt autem haec verba: *Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiae, et precum, et adspicient ad me, quem confixerunt*, Dei per seipsum loquentis verba. Testimonio S. Joannis haec Scriptura de Christo est in cruce confixo. Deus autem est, hoc loco apud Zachariam, qui se dixit confixum. Rursus itaque iste Zachariae locus clare, et manifeste praedicat divinitatem Christi.

Post istum planctum ex confixione Christi prophetice descriptum, sequitur deinde C. 13. v. 1. *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatae.* Postquam Christus confixus est in cruce, et hinc secuta est effusio Spiritus gratiae, et precum, facile etiam est intelligere, quis iste fons eodem tempore eruperit domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem pec-

catoris, et menstruatae, id est, immunditia affectae. Eadem quoque die disperditurum se Deus dicit nomina idolorum de terra, et pseudo-prophetas, spiritumque immundum ablaturum: ex terra videlicet Jerusalem, et domus David. Nam *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam: aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata.* Eph. 5. v. 25.

Jam post ista est deinde hoc. *Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* In Hebraeo est: *Et dicet ad eum.* a) Quis dicet? is, qui loquebatur prius. Iste autem Deus est, ut patet ex V. 2. Ad quem vero dicet? de quo antecessit, fuisse confixum, et ideo factum esse planctum, atque luctum ingentem omnium in Jerusalem. Respondit autem, plagis, quas in medio manuum suarum ferret, se affectum esse in domo eorum, qui eum diligebant. Talis haec intelligitur dilectio, quale pretium etiam illud dictum est C. 11. v. 13. decorum, quo Christus aestimatus est ab Judaeis. Qui confixus est, is Christus est. Hinc itaque istae etiam plagae in medio manuum illius.

Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum. „Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum „daret" Joan. 3. v. 16. et „Proprio filio suo non peper- „cit; sed pro nobis omnibus tradidit illum." Rom. 8. v. 32. Hoc est, quod Deus ipse suscitet frameam adversus Christum, quem in mortem pro nobis tradidit, ponendo frameam, quod occisionis instrumentum usitatis-

---

a) וְאָמַר אֵלָיו

simum est, pro occisione. Christum vero suum Pastorem Deus vocat, utpote cujus etiam grex est, quem pascit Christus. Idemque vir Deo cohaerens est: siquidem ipse, et Pater unum sint. Joan. 10. v. 30. *Percute Pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos.* Continuantur verba Dei ad frameam. Christus post paschalem coenam cum ad montem Oliveti cum discipulis iret, ubi captus deinde est, dixit illis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Matth. 26. v. 31. Nullum ergo dubium relinquitur, si Christo credimus, hoc in Zacharia, quod in praesenti loco est, quem tractamus, pertinuisse ad Christum, atque ad ejus illum actum, in quo, diffugientibus discipulis suis, comprehensus, et actus in crucem est. Convertit vero manum suam Deus deinde ad parvulos, nec tantum ad Apostolos, qui scandalum passi, diffugerunt, Christumque reliquerunt, sed ad illos quoque, qui antea agnoscentes esse Christum, et convenientes ad Paschatis festum ei cum ramis palmarum occurrerunt, et cum acclamationibus, quibus illum Messiam salutarunt, ad urbem, et ad templum deduxerunt, deinde vero sacerdotibus, et senioribus mortem illius a Pilato exposcentibus consenserunt, utque eum crucifigeret, magnis, et importunis clamoribus petierunt. Luc. 23. v. 18. Atque hoc est, quod de turba hominum, quae in Christi supplicio affuit, cum per solis defectionem, aliaque signa, quae in Christi morte acciderunt, ad mentem revocata esset, dictum sit per Evangelistam, percutientem pectora sua reversam esse. Luc. 23. v. 48. Ad hos parvulos Pastor convertit manum suam, ut videlicet dispersos, et alienatos a se ad se revocaret. Nam hos, qui in eum credebant, parvulos ipse etiam appellavit Christus, Matth. 11. v. 25. et pusillum gregem. Luc. 12. v. 32.

Jahnius

Jahnius jam in his Zachariae locis de Christi confixione, et ejus plagis in manibus, gregisque dispersione; ad quam pertinere Zachariae vaticinium non Matthaei, sed ipsius Christi, testante Matthaeo, testimonium est, specimen suae interpretationis non dedit, sed substitit in Zachariae capite nono. In Introductione tamen (Germ.) Part. II. §. 159. sic de sensu istius vaticinii, et de pastore, de quo canat vaticinium percusso, et ad cujus percussionem grex dispersus est, pronunciat: *Iste pastor, et is, qui antea transfixus eadem persona Judas Machabaeus est, sed vaticinium sic conceptum est, ut per imaginem Messiam repraesentare possit.* a) Neque igitur ipsius etiam Christi asseveratio, hanc in Zacharia Scripturam fuisse editam de sua comprehensione; et percussione, discipulorumque dispersione, adhuc tamen suffecit Jahnio, ut hanc veram de Christo agnosceret esse prophetiam: qua significari Judam Machabaeum dicit; et nonnisi per hunc posse referri ad Christum, tanquam in imagine, quatenus videlicet cum re, quae Judae Machabaeo accidit, similitudinem quampiam habuerit id; quod postea Christo evenit, et in quo sola tantum adhuc adcommodatio rei ab Juda ad Christum, nulla vero prophetia est.

---

a) Dieser Hirte, und der vorhin Durchstossene ist einerley Person, Judas der Machabäer: aber die Weissagung ist so abgefasst, dass sie bildlich den Messias vorstellen kann.

XL.

MALACHIAE 1. v. 11.

Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

ממזרח־שמש ועד־מבואו גדול שמי בגוים ובכל־
מקום מקטר מגש לשמי ומנחה טהורה כי גדול שמי
בגוים אמר יהוה צבאות׃

Dei sunt haec verba, postquam sacerdotibus objecisset, hosque culpasset, quod cum ipsius despectu panem pollutum, caecas, claudas, atque morbo affectas pecudes ei offerrent in sacrificium; nec ministerium Deo exhiberent, nisi lucri, atque suae mercedis gratia. Quamobrem his deinde a se denunciat, dicitque: *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio*

munda: quia magnum est nomen meum in gentibus. Repudiat Deus cultum sibi exhibitum ab Judaeis, eo quod hunc decentiorem ei exhibiturae sint gentes, quarum erga eum major futura sit reverentia, et in cujus sibi ab Judaeis exhibiti cultus in uno duntaxat templo vicem in omni loco a solis ortu usque ad occasum ab omnibus gentibus, apud quas universas magnum ejus nomen futurum sit, sacrificandum ei sit, et offerenda ejus nomini oblatio munda. Palam, atque apertum est, nomen Dei in gentibus universis, quae orbem terrarum incolunt a solis ortu usque ad occasum, esse factum magnum nonnisi per lucem Evangelii, earumque ad Deum conversionem, quae antea, falsis numinibus addictae, nequidem notitiam Dei habuerint.

Idem, quod de his gentibus sit, ex quibus Deus, reprobatis Judaeis, sibi novum populum, a quo coleretur, novamque Ecclesiam per Christum instituit, inde quoque manifestum fit, quod cum Deus toto adhuc subsequente capite secundo non tantum iisdem sacerdotibus exprobrasset, quod recessissent de via, ac plurimis aliis offendiculo fuissent in lege, quorum esse debebat alios etiam docere, irritumque fecissent pactum suum cum Levi V. 8. verum etiam universum Judam arguisset contaminatae sacrificationis V. 11, cujusque altare lacrymis operuerint, et mugitu uxorum his inique a se dimissis, et nova connubia ineundo cum feminis alienigenis, atque istis pariter denunciasset, se non respecturum ultra ad illorum sacrificia, nec placabile quid acceptu-rum de eorum manu, subjicit deinde Capit. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam: et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Nam cum Angelum hunc a Deo missum, ad praeparandam ei viam, constet testimonio ipsius Christi, esse Joannem Baptistam, Matth.

11. v. 10. neque proinde Dominator etiam, qui statim post eum venturus praedicebatur, alius est, quam Christus, cujus Joannes fuit praecursor. Dum autem exprobratione, atque objurgatione facta de servitio sibi, ac cultu non rite, atque digne praestito, denunciataque illorum a se projectione, et repudiatione dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum*, clare significatur, hoc eo spectans esse, ut dum Judaeos a se repudiasset, alium sibi populum Deus, a quo coleretur, institueret. Ergo cultus etiam Deo ab omnibus gentibus exhibendus, atque ubique locorum futura sacrificatio, et oblatio munda, de qua antecessit, pertinet ad eum Dei cultum, et eam sacrificationem, oblationemque mundam, qui cultus Deo tribuitur a gentibus, ad Deum per Christum conversis, et quae sacrificatio, atque oblatio Deo in Ecclesia. fit, et ab Ecclesia.

Etiam vero idem confirmat, quod deinde C. 3. v. 3. sequitur de eodem Dominatore, et Angelo testamenti, qui Christus est a Deo missus ad novum condendum testamentum: *Et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia, et placebit Domino sacrificium Juda, et Jerusalem, sicut dies seculi, et sicut anni antiqui.* Nam, qui per hunc Dominatorem Christum purgandi dicuntur filii Levi, et oblaturi sacrificia in justitia, quodque sacrificium Juda, et Jerusalem placiturum sit Deo; hi profecto jam non intelliguntur filii Levi, et sacerdotes Veteris legis, utpote quos in horum, a se repudiatorum locum suffecit, nec proinde Judas, et Jerusalem vetus est, cujus sacrificium post Dominatoris Christi adventum Deo placiturum ultra sit.

Dum autem Deus dixit, sibi non esse ultra voluntatem in sacerdotibus Veteris legis, neque se munus suscepturum ex illorum manu; intelliguntur citra dubita-

tionem munera, quae offerre illorum fuit officium, atque adeo sacrificia, ob quae redarguebantur, quod caecum, claudum, infirmumque pecus immolassent. Cur vero voluntate aversa ab ipsis esset, nec illorum munera ultra habere vellet; Deus declaravit, eo quod in omnibus gentibus magnum ejus nomen esset, et in omni loco ei sacrificaretur, et offerretur, oblatio munda: nec eorum obsequio indigeat, quod ei dignius praestetur ab omnibus gentibus, neque ipsorum sordidis opus habeat oblationibus, cui a solis ortu usque ad occasum ubique locorum offeratur oblatio munda. In vicem vero veterum sacrificiorum sibi Deus dixit esse sacrificia meliora; quae ei offerenda sint in omni loco, et ab omnibus gentibus: ergo ista quoque vera oportuit esse sacrificia, quod secus pro sacrificiis, ab Judaeis sibi oblatis, dum ista respuisset, non tantum istis non melius, et perfectius, sed nullum, atque adeo neque talia, qualia priora veteris legis erant, accepisset: et quo pacto nulla etiam illorum compensatio facta fuisset. Ex quo vero sequitur, etiam in novi foederis Ecclesia esse debere verum sacrificium: neque hoc solummodo esse, et sufficere, quod sacrificium laudis dicitur, atque precando Deum peragitur, sed per rei cujuspiam oblationem: quemadmodum, cum omnium etiam sub veteri lege fuisset Deo laudis, atque precum offerre sacrificium, non eo minus tamen peculiares erant sacerdotes ad sacrificia offerenda, quodque munus attingere omnibus aliis nefastum esset. Num. 16. v. 40.

Christus alius ab Levitici ordinis sacerdotibus surrexit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hebr. 7. v. 11. In eo autem Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech fuit, quod panem, et vinum in ultima coena obtulerit. Id, quod etiam jam demonstratum est supra ad num. 22. Hoc vero idem faciendum tradidit Apostolis 1. Cor. 11. v. 24. Ergo haec oblatio panis, et vini, quae per consecrationem fiunt corpus, et sangvis

Christi, quaeque celebratur, non ut Veteris legis sacrificia in uno tabernaculi Dei, vel templi loco, sed in universo terrarum orbe, quo pervenit Ecclesia Christi; est et verum sacrificium, et illud, quod secundum hoc vaticinium Malachiae, quod modo tractamus, offertur in omni loco. Huc ad istud sacrificium, in quo Christus corpus, et sangvinem suum sub speciebus panis, et vini Deo Patri obtulit, atque Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit, pertinuisse hoc Malachiae vaticinium, docuit Concilium Tridentinum. Sess. 22. cap. 1. cujus haec sunt verba: *Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit.*

Nec Augustana, nec Helvetica Confessio agnoscit in Eucharistia esse sacrificium: ideo hoc in Malachia de sacrificio, et oblatione munda jam superioribus temporibus (quod idem David Mich. etiam fecit in suis Adnotationibus) negarunt pertinere ad eam rem, quae sit futura in Ecclesia novi testamenti, sed esse hoc dictum de sacrificiis, quae Malachiae aetate Gentiles vero Deo, ad ejus agnitionem perducti variis in locis obtulerint. Id, quod factum sit opera Judaeorum sparsorum per imperium Persarum in captivitate, et per Cyri Persarum regis edictum, quo Judaeis redeundi in patriam, templique aedificandi facultatem tribuens, una Deum Judaeorum ita celebraverit, ut ab eo se imperium habere, atque regna sua omnia accepisse, professus sit. Hoc de tali edicto Cyri verum omnino est. An autem ullus Gentilium se tunc ad unius veri Dei cultum converterit, atque huic sacrificaverit, probandum etiam restat, cujus rei vestigium nullum uspiam est. Sed demus tales fuisse. Nam plures alterius gentis, et sectae sese Religioni Judaeorum, et

caerimoniis junxisse, est etiam Esther 8. v. 17. Neque vero tamen istud adhuc erit, quod Deus per Malachiam dixit, futurum, ut in omni loco ei offeratur sacrificium et oblatio munda. Quod si factum tunc fuisset, quantam res haec claritatem, et evidentiam accepisset? quae nequidem unius singularis hominis exemplo potest doceri. Deinde hi gentiles ad Religionem Dei, quae Judaeis erat per Judaeos adducti, certe non sumpsissent sibi facere, ut alibi, quam in templo Jerosolymitano sacrificarent, quod nec Judaei, a quibus instituti in Religione fuissent, fecerunt, sed sibi interdictum a Deo habuerunt. Est denique jam demonstratum, praedictionem hanc de Dei nomine magno futuro apud omnes gentes, et qua mundus tenditur ab oriente sole usque in occidentem, et de sacrificatione in omni loco ex contextu totius istius prophetiae pertinere ad novi testamenti Ecclesiam. Argumentum pro gentilibus, Deum sacrificiis, et oblationibus suis colentibus, inde sumptum, quod verba: *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*, sint temporis praesentis, nullius momenti est. Quis enim nescit, alibi quoque manifestas de Christo prophetias editas esse verbis in tempore non tantum praesenti, sed etiam praeterito? Psalmus 21. Isaiae caput 53. ut alia innumera loca praeteream, sunt huic rei claro documento.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*corrige*
63	1	nultatenus	nullatenus
73	3	ἀποκείμενμ	ἀποκείμενα
87	30	rescipit	respicit
140	12	dorem	dolorem
181	2	splendorum	splendorem
187	11	manaet	maneat
205	12	exurrentur	exuerentur
207	14	e	et
208	2	hoc	hoc est
216	29	dofoedationem	defoedationem
236	5	fierit	fieret
241	22	ita	ista
255	18	partim dispersione	*adde* partim occisione
283	20	per Jerusalem	per domum Israel

CONSPECTVS OPERIS

IN TOMVLO I.

PROLEGOMENA.

Numerus cum commate §phum, cum puncto paginam designat.

Initia Legis, et Scripturae s. interpretandae apud Hebraeos a Moyse, et continuatio. 1, 7. Ratio, qua Judaei Scripturam interpretabantur aetate Christi, et deinceps. Quid ab his provenerit usui futurum interpretationi? 2, 8. Scripturae s. interpretatio per Christum, et Apostolos, aliosque Spiritu s. praeditos viros. Continuata per Episcopos praesertim in homiliis habitis in Ecclesia. Etiam Scholae institutae quibusdam in locis hunc in finem. 3, 11. Primi qui de arte interpretandae Scripturae scripserint. Tichonii primae de hac septem regulae. S. Augustini libri 4. de Doct. Christ. Adriani, Eucherii, Junilii, et Cassiodori de interpret. Scripturae Opuscula. Origenes, et S. Hieronymus quantum contulerint in auxilium ejusdem interpretationis. 4, 13.

Patribus, et antiquis Interpretibus orthodoxis regula, ad quam dirigebant interpretationem, fuit traditio Majorum. De quibus Scripturae quaestionibus haec sit intelligenda regula? 5, 15. Cui Scripturae sensui Patres

in interpretando, et veteres Interpretes studuerint? Meritone argui possint, quod sensu literali praetermisso allegoricum sectati sint? 6, 18. Quomodo studium Biblicum se habuerit a sec. VI. usque X. Interpretatio Scripturae per Glossas, Catenas, et Postillas. Literae Sacrae quantum hoc temporis spatio cultae sint in monasteriis? 7, 22. A sec. X. usque XVI. status Literaturae Biblicae. Quae incrementa acceperit? Correctoria, Concordantiae Bibliorum. Polyglotta Card. Ximenii. 8, 24. Nova incrementa Studii Biblici occasione, qua dissidium ab Ecclesia Protestantes fecerunt. Novae Bibliorum versiones per Lutherum, aliosque Protestantes. 9, 26.

Principia Scripturae s. interpretandae Protestantium. 10, 28. Socinianorum. Catholicis eadem, quae semper fuit immobilis mansit regula interpretandi. 11, 30. Post Socinianos interpretationis origo adhuc liberioris in Germania ex Deismo, et Naturalismo pullulantis, Scripturamque pro tegumento Naturalismi adhibentis. 12, 31. Quid de Scriptura s. excogitatum sit a Germanis, Naturalismo infectis, ad propagandum eumdem Naturalismum? 13, 33. Quali via, et artificio haec propagata interpretatio sit, et quorum praecipue opera? 14, 36.

Opera ad Studium Biblicum pertinentia notabiliora Catholicorum. 15, 39. Acatholicorum. 16, 47. Studium Scripturae s. quomodo tractatum sit in scholis cum alibi, tum in ipsa etiam Hungaria ad haec usque tempora? 17, 52.

Archaeologia Biblica.

Ejus notio, scopus, necessitas, fontes. In Prooemio. pag. 55. Cap. I. Palaestinae Geographica descriptio. Quibus nominibus sit appellata. Ejus limites, situs, magnitudo. Regionum, quas per suum circuitum habebat, recensio. 1, 60. Palaestinae veteres incolae. Regionis indoles. Ejus montes, et fluvii. 2, 64. Status naturalis, et caeli temperies. 3, 69. Divisio vetus, et posterior aetate Christi. Insigniores urbes, et loca. 4, 72.

Cap. II. Hebraicae nationis historica descriptio. Hebraeorum origo. Abrahami migratio ex

---

IN TOMVLO II.

INTRODVCTIO IN LIBROS CANONIC. VET. TEST. ET EORVM APOLOGIA GENERALIS.

adversus

INTRODVCTIO EORVMDEM LIBRORVM, ET APOLOGIA SPECIALIS.

IN TOMVLO III.

REGVLAE SCRIPTVRAM S. INTERPRETANDI.

EXEGETICA EXERCITATIO.

VI. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: et ipse erit exspectatio gentium. Gen. 49. v. 10. pag. 72.

VII. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel per siccum. Exod. 14. v. 16. pag. 81.

VIII. Aperuitque Dominus os asine, et locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me, ecce jam tertio? Numer. 22. v. 28. pag. 93.

IX. Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus: ipsum audies. Deuteron. 18. v. 15. pag. 99.

X. Ecce arca foederis Domini omnis terrae antecedet vos per Jordanem — — et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes, qui portant arcam Domini Dei universae terrae, in aquis Jordanis, aquae, quae inferiores sunt, decurrent, atque deficient; quae autem superveniunt, in una mole consistent. Josue 3. v. 11. pag. 104.

XI. Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, et adscendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem. Josue 6. v. 20. pag. 107.

XII. Tunc locutus est Josue Domino in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis etc. Josue 10. v. 12. pag. 109.

XIII. At illa (Dalila) dormire eum (Samsonem) fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et coepit abigere eum, et a se repellere. Statim enim ab eo fortitudo discessit. Judic. 16. v. 19. pag. 118.

XIV. Cum vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. 1. Reg. 28. v. 12. pag. 125.

XV. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod

egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. 2. Reg. 7. v. 12. pag. 128.

XVI. Cumque pergerent (Elias, et Eliseus), et incedentes sermocinarentur; currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et adscendit Elias per turbinem in caelum. 4. Reg. 2. v. 11. pag. 135.

XVII. Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum etc. Job. 19. v. 23. pag. 141.

XVIII. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. Psal. 2. v. 6. pag. 147.

XIX. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingva mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Psalm. 15. v. 8. pag. 152.

XX. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Psal. 68. v. 22. pag. 160.

XXI. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Psal. 108. v. 6. pag. 165.

XXII. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum etc. usque ad finem Psalmi. Psal. 109. v. 1. pag. 173.

XXIII. Dixi in corde meo de filiis hominum: Vt probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis; idcirco unus interitus est hominis, et aequa utriusque

conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius. Eccl. 3. v. 18. pag. 188.

XXIV. Vade, et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Eccl. 9. v. 7. pag. 192.

XXV. Et dixit (Deus Isaiae) Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Isaiae 6. v. 9. pag. 195.

XXVI. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Isaiae 7. v. 14. pag. 200.

XXVII. Haec dicit Dominus: Labor Aegypti, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus Israel Salvator. Isaiae. 45. v. 14. pag. 208.

XXVIII. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Isaiae 50. v. 6. pag. 213.

XXIX. Haec dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. Haec dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici, et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos. Jerem. 31. v. 15. pag. 217.

XXX. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo. Ezechiel. 38. v. 1. pag. 224.

XXXI. Septvaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte etc. Daniel. 9. v. 24. pag. 230.

XXXII. Sicut mane pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, et dilexi eum: et ex Aegypto vocavi filium meum. Osee 11. v. 1. pag. 248.

XXXIII. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum ejus, et ea, quae corruerant, instaurabo, et reaedificabo illud, sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumaeae, et omnes nationes: eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens haec. Amos 9. v. 11. pag. 253.

XXXIV. Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis. Michaeae 5. v. 1. pag. 258.

XXXV. Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Aggaei 2. v. 7. pag. 261.

XXXVI. Haec dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quae spoliaverunt vos. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt praedae his, qui serviebant sibi: et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me. Zachar. 2. v. 8. pag. 270.

XXXVII. Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem! Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator: ipse

pauper, et adscendens super asinam, et super pullum filium asinae. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus: et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae. Zachar. 9. v. 9. pag. 274.

XXXVIII. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad stutuarium. Zachar. 11. v. 12. pag. 279.

XXXIX. Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute Pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos. Zachar. 13. v. 6. pag. 285.

XL. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Malach. 1. v. 11. pag. 290.



